This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lm
10
72

Lm 10.72

Harvard College Library

FROM

By Exchange

Cover

Sm 10.72

STUDIA MANILIANA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

IOANNES MOELLER
OFFENBACHIENSIS

MARPURGI CATTORUM
MCMI

Sm 10.72
Harvard College Library
Mar, 7. 1902.
By Exchange.

Von der Fakultät als Inauguraldissertation angenommen
am 6. II. 1901.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

DIS MANIBUS

P A T R I S

SACRUM

Index capitum.

pag.
I. De Manili fabulis sidereis 1
A. De fabulis ipsis 1
B. De fontibus fabularum 21
II. De Manili doctrina astronomica 26
III. De Germanico Manili imitatore 38
IV. De Manilio et 'Sphaera' 42
Epimetrum 45
I. De ampliore Catasterismorum sylloga 45
II. De Cosmae sylloga 47
Indices 50

Tabella Siglorum.

Conspectus editionum commentariis vel adnotationibus criticis instructarum.

Scal.[2]	M. Manili astronomicon a Iosepho Scaligero ... repurgatum. Eiusdem Notae .... Lugdun. Bat. 1600.
Scal.[3]	M. Manili astronomicon a Iosepho Scaligero .... Eiusdem Notae ... e codice Scaligeri, quem sua manu ad tertiam editionum praeparaverat ... in lucem publicam restitutae etc. Argentorati 1655.
	Editionem secundam plerumque laudo, cum ad usum utilior sit et a plerisque adhibeatur (cf. 'I. I. Scaliger von J. Bernays p. 280 sq.'); tertiam iis locis solis, quibus ab altera discedit.
Bentl.	M. Manili astronomicon ex recensione et cum notis R. Bentlei. London 1739.
Jacob	M. Manili Astronomicon libri V rec. Fr. Jacob. Berlin 1846.
Bechert	M. Manili qui fertur Astronomicon libri V edidit Malwinus Bechert (in fascic. III corporis poet. lat. ed. Postgate London 1900) et brevi lectionum varietate instruxit.
	Ab hoc editore codicum sigla mutuatus sum.
	Saepe citavi:
Ellis	R. Ellis 'Noctes Manilianaé sive Dissertationes in Astronomica Manilii'. Oxonii 1891.

Ar.	Arati Phaenomena rec. E. Maass. Berlin 1893.
Cic.	Ciceronis Aratea ed. E. Baehrens p. l. m. I p. 1—28.
Germ.	Germanici Caesaris Aratea iterum edidit A. Breysig. Lipsiae 1899.

Achill.	Achilles (ad Aratum) ed. E. Maass (in Comment. cf. infra) p. 27—85.
Amp.	Ampeli liber memorialis rec. E. Woelfflin. Lipsiae 1853.
Ar. schol.	scholia Aratea ed. E. Maass (in Comment. cf. infra) p. 334—555.
BP	scholia Basileensia ed. A. Breysig. Berlin 1867.
Cat.	Catasterismi pseudo-Eratosthenici ed. Maass (in Comment.) p. 181—277.

Com.	Commentariorum in Aratum reliquiae ed. E. Maass. Berlin 1898.
Cosmas	Cosmas Hierosolymitanus Gregori Nazianzeni interpres (s. VIII), cuius nonnulla ex Arati scholiis (cf. p. 47 sqq.) excerpta edidit E. Maass, Anal. Eratosth. p. 4 sqq.
Hyg.	Hygini astronomica rec. B. Bunte. Lipsiae 1875.
Myth. Vat.	Scriptores rerum mythicarum latini tres ed. G. H. Bode. Celle 1834.
Ps.-Dosith.	Hermeneumata Ps.-Dositheana ed. G. Goetz in Corp. Gloss. Lat. III p. 58, 31 sqq. = p. 291, 54 sqq.
Rec. int.	Recensio interpolata Arati latini scholiorum (= scholia Sangermanensia in Germanicum) ed. E. Maass in Com. p. 180—277.
S	scholia Strozziana compilata in Germanicum ed. A. Breysig. Berlin 1867 p. 105 sqq.
Sphaera	Sphaera Anonymi ed. E. Maass in Com. p. 154 sqq.
T	cod. Vaticanum gr. 1087 s. XV, in quo excerpta Catasterismorum ampliorum insunt, contulit A. Rehm, Progr. Ansbach 1899.

Bouché	l'astrologie grecque par Bouché-Leclercq. Paris 1899.
Maass A. E.	Analecta Eratosthenica scripsit E. Maass. Berlin 1883.
Maass Arat.	Aratea scripsit E. Maass. Berlin 1892.
Maass prol.	Maassi prolegomena (in Com.) p. V—VI. p. XI sqq.
Rehm	A. Rehm mythogr. Untersuchungen über griech. Sternsagen. München 1896.
Rehm pr.	Eratosthenis Cat. fragmenta Vaticana ed. A. Rehm (progr. Ansbach) 1899.
Robert	Eratosthenis Catasterismorum reliquiae rec. C. Robert. Berlin 1878.
Thiele	Antike Himmelsbilder von G. Thiele. Berlin 1898.

I. De Manili fabulis sidereis.

A. De fabulis ipsis.

Manili potissimum fabulis cum manifestum fiat, quam operam in catasterismis colligendis docti Alexandrini posuerint, conabor hac in dissertatione narrationes sidereas, quae in illius carmine occurrunt, congerere et diligenter perquirere. Hac in re tractanda, quod hic poeta fabulas distractas et per quinque libros sine ullo ordine dispersas magis significat saepe obscurissimis verbis quam plena et accurata narratione persequitur, primum uniuscuiusque fabulae argumentum e membris dissipatis restituemus et vocabimus in talem quaestionem, quali perspiciatur, quibus mythographis aliisve scriptoribus singulae illius narrationes congruant, deinde vero generatim de earum fontibus disputabimus.

Initium quaerendi sumimus ab eis catasterismis, qui ita breviter commemorantur, ut testium aliorum demum auxilio satis possint intellegi. Sine negotio fiunt lineamenta fabularum, quae sunt de Cancro, Nepa, Leone, Ursa minore. Nam apud omnes[1]) uno[2]) solo excepto scriptores legitur

'CANCRUM inter signa collocatum esse, quod Herculis Hydram necantis pedem momordisset',

et

'NEPAM[3]), cum a Diana missa Orionem, qui deam laeserat, ictu interfecisset, ad caelum relatam esse'

narrant poetae astronomici.

---

1) Manil. II 33 'morsu [ἔδακε script. gr.] Cancrum (scil. in caelo positum)'. cognomen 'litoreus' III 316 fabulam non attingit. — test. fab.: Germ. 543/46; Colum. X 313; Avien. 381 sqq.; Ar. schol. v. 147; Cat. p. 204; B. P. p. 70, 6—11; Hyg. II 23; Ps.-Dosith. III 292, 2; Ampel. II 5. auctorem fabulae Panyasin (in Heraclea fr. 3 K.) esse dicunt Cat. et B. P.

2) Myth. Vat. III 15, 4 — perperam excerpsit Ps.-Dositheus.

3) Manil. II 32 sq. 'ictu Nepam (scil. ad sidera ductam)'. — test. fab.: Ar. 636 sqq.; Nicand. Ther. 13 sqq.; Germ. 644 sqq.; Avien. 1171 sqq.;

LEONIS[1]) vero signum a bestia, cuius spolium Hercules gerebat, nomen traxisse concludimus cum e notis[2]) exiguis tum e vocabulo[3]) Nemeaei, et URSAE[4]) MINORIS narrationem Manilius ipse quamvis paucis indicat. 'In illud enim sidus Cynosuram[5]) Nympham, quippe quae Iovis nutrix fuisset, versam esse' contendit repugnans[6]) quidem Arato eiusque imitatoribus sed consentiens cum mythographis.

De aliquot sideribus dubitari potest, hic poeta utrum tenuibus ambiguisque verbis catasterismorum causas afferat an virtutes faciesque bestiarum figuratarum describat. ECUM quidem, quem Manilius[7]) volantem[8]) fingit, quamquam stellae alis desunt, Pegasum[9])

Ar. schol. (v. 322 sq.) v. 636; Cosmas p. 6; Cat. p. 196 (247); B. P. p. 63 (92); (Hyg. II 34 p. 37, 7); Ps.-Dosith. III p. 292, 15; Amp. II 8; Serv. ad Aen. I 535; schol. ad Stat. Theb. III 27. Hanc fabulae formam Epimenidi probabiliter tribuit Maass (Arat. p. 350). Manili tenuia verba utram ad formam referenda sint dubium est, tamen puto eum Aratum illiusque sectatores imitari, qui Orionem Dianam stuprare voluisse narrant (Cic. Germ. Ar. schol. Cat. al.). Altera forma est Ps.-Hesiodi, qui Orionem in arte venandi Dianae Latonaeque se iactantem inducit. Eum secuntur Ovidius (fast. V 537 sqq.) et mythogr. (al. locis).

1) Manil. II 32 'spolio Leonem (scil. in caelo collocatum)', II 531 'victus Leo fulget in astris'. — test. fab.: Germ. 547. IV 58; Senec. Oed. 40; Maxim. (de action. ausp.) IV 1 V 102; (Ar. schol. v. 149; Hyg. II 24 p. 66, 21—23); Cat. p. 206 B. P. p. 71; Ps.-Dosith. III p. 292, 5; Ampel. II 5; Cosmas p. 5; Isidor orig. III 71, 27; Myth. Vatic. III 15, 5. cf. quae infra disputabo p. 48. auctorem fabulae Pisandrum Rhodium (in Heracl. fr. 1 K.) esse dicunt Hyg. Cat. B. P. p. 72 [quo l. illius nomen restituendum est].

2) cf. adn. 1. II 32 'spolio Leonem' est clausula Ovidiana (fast. II 325. V 393 met. III 81. IX 113).

3) Manil. voce 'Nemeaei' pro sidere Leonis his locis utitur II 565. 623. III 404. 409. 571. IV 336. 464. 706. 759. V 206 (s. Germ. 547. IV 58)

4) Manil. II 30 'officio Iovis Cynosuram (scil. in caelo positam)'. — test.: Cat. p. 185; B. P. p. 59, 10 sq.; Hyg. II 2 p. 31, 23 sqq. fab. 224. fabulam ad Aglaosthenem (in Naxicis fr. 2 M.) revocant Cat. B. P. Hyg.

5) cf. ea quae infra de Ursae maioris fabula disseram p. 6 adn. 1.

6) cum Cynosuram unam, non utramque ursam Iovem nutrisse dicat.

7) V 24 'volat stellatus Ecus', V 634 'Ecus caelo volabit'.

8) Ecum alatum inducunt Ovidius quoque (fast. III 457) et Germanicus (207. 223) et repraesentat imago sphaerae Farnesianae tabularum picturarumque (Thiele tab. III b. IV a. p. 108 al.). Ab eis distat Catasterismorum scriptor, qui tacens verbis *διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν πτέρυγας* consentire videtur.

9) Pegasus et in Helicone ictibus pedis fontem aperuisse et Bellerophontem per auras vexisse dicitur; priorem narrationem Aratus refert, duas, quae distingui solent, Ovidius confundit, Manilius ad utram alludat ignoratur. — test.: Ar. 205 sqq.; Ovid. fast. III 450 sqq. (cf. Rehm p. 33);

esse apparet. Sed velocis[1]) vox ad naturam[2]) bestiae pertineat an LEPORIS catasterismi causam[3]) non certius scio[4]) quam verba (I 353 sq.) 'DELTOTON nomine sidus, | ex simili dictum' sideris faciem litterae Δ[5]) similem an nomen eius e Nili Delta captum[6]) significent.

Hoc loco de HYADUM nomine, re controversa et inter antiquos doctos dissensionis plena, pauca verba faciam, praesertim cum de eis narratio apud hunc poetam non occurrat. Manilius enim primus, quantum scio, illius nominis veram etymologiam[7]) a Cicerone[8]) Tironeque[9]) iniuria reiectam non solum protulit sed etiam

---

Germ. 207 sqq.; Nonnus Dionys. 38, 400 sqq.; Ar. schol. v. 205; Cat. p. 218; B. P. p. 78; Hyg. II 18. Aratum primum illud sidus ita interpretatum esse e Cat. verbis: *Ἄρατος μὲν οὖν φησι τὸν ἐπὶ τοῦ Ἑλικῶνος εἶναι ποιήσαντα κρήνην τῆι ὁπλῆι* . . . (— *ἄλλοι δὲ τὸν Πήγασον εἶναί φασι* . . . *διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν πτέρυγας ἀπίθανον δοκεῖ* [scil. *Ἄρατος*] *τισι ποιεῖν τὸν λόγον* —) elucet, quoniam qui illam explicationem sive supplent (*ἄλλοι*) sive reiciunt (*τισι*) ad Aratum solum respiciunt (cf. Maass A. E. p. 25 sq.).

1) I 412 'velox Lepus'.

2) Quantum celeritas et fecunditas, quam alii scriptores (Cat. Hyg.) causam catasterismi afferunt, propria leporis sint Varro docet (de r. r. III 12). Illius verba et mythographorum simillima ad librum, qui est de bestiarum natura (cf. Aristotel. h. a. IV 33 p. 579 b, 32), an ad scientiam cottidiana observatione paratam (cf. Herod. III 108) revocanda sint nescio. Magni autem momenti hoc est, quod Archelai novum fragmentum adhuc in Arati latini scholiis (p. 254 a, 17) unis servatum nunc a codice T quoque (Rehm pr. n. XXXIV 6) oblatum Varronis verbis firmatur, qui de illius epigrammatis id est *Ἰδιοφυέσι* quater loquitur (cf. Plin. h. n. VIII 55, 218).

3) test.: Ar. schol. v. 338 Cat. p. 254.

4) Eadem dubitatio est de verbis Ciceronis (v. 121) 'levipes lepus', Germanici (v. 610) 'pernix lepus', poetae Sphaerae (v. 63) '*ὠκύπουν λαγών*', Nonni (Dionys. XVI 205) '*ἐπειγομένοιο λαγωοῦ*'.

5) test.: Cic. v. 6; Ar. schol. v. 223 p. 380, 18; Hyg. II 19 p. 59, 15; S. p. 144 sq.

6) test.: Ar. schol. v. 236; Cat. p. 223; B. P. p. 81; Hyg. II 19. Hoc nomen Deltoti re vera a contemplatione trium stellarum ortum esse in confesso est.

7) Scal.[2] p. 395 'Latini Suculas non a succo, ut inepte Nigidius [quo loco ille de veriloquio huius vocis disputaverit nescio, at in Servi commentario ad Aen. I 744 hanc etymologiam inveni]. sed tamquam sunt *ὗες ὑποκοριστικῶς*'. item Servius (l. c.) 'nam ideo eas quidam suculas, sues scilicet, dici tradunt'. Hanc explicationem probant Thiele p. 2 et Bouché p. 134 adn. 1, alteram praeferunt Ideler (Sternn. p. 139 sq.) et Usener (Göttern. p. 45 sq.).

8) de nat. deor. II 111.

9) apud Gell. XIII 9, 4. cf. Plin. h. n. XVIII 247. Prob. ad Georg. I 138 K.

veritati eius confidens certo consilio exhibuit. Item alii[1]) hoc populare veriloquium se cognovisse subindicant Suculas interpretati, sed nemo originem nominis ita demonstravit ut Manilius hisce verbis

V 125 Immundosque greges agitant (scil. Hyades) per sordida rura
Et fidum Laertiadae genuere syboten.

Qua re intellegitur hunc poetam doctas narrationes mythologicasque explicationes Alexandrinorum non semper secutum esse, sed hic illic simplicem populi interpretationem praetulisse.

Iam ad fabulas enarratas exornatasque veniamus. ANDROMEDAE EIUSQUE FAMILIAE fabulam Manilius, qui mythographica se contemnere fatetur (III 3 sqq.) et de suo opere 'ornari res ipsa negat, contenta doceri' dicit (III 39), tanto studio atque lepore refert (V 538 sqq.), ut quasi nitens margarita e carmine effulgeat. Sed cum neque narrationem, etsi amore quodam tractavit et alios[2]) poetas secutus venuste exornavit, sua Minerva mutaret neque catasterismos, argumentum fabulae breviter exponere satis habeo.

'Neptunus ut Cephei familiam poena afficeret, quod uxor Cassiope ob pulchritudinem adversus Nereidas gloriata erat, in eius terram et aquarum eluviones[3]) et beluam marinam miserat. Deinde parentes, cum Cepheus filiam Andromedam Ceto proponere oraculo iussus esset, inviti sed terrae calamitate commoti illam bestiae concesserunt. Eam Perseus a certa morte servavit belua interfecta et in matrimonium duxit.[4]) Ob illius virtutem

---

1) Cicero, Tiro, Plinius h. n. XVIII 247, Colum. XI 2 (Rec. int. p. 211 sq.), Ampel. III 2, Hyg. fab. 192, Commentat. Vergil. (ad Georg. I 138, Aen. I 744), C. Gl. L. III p. 293, 17.

2) Euripidem dico et Ovidium (met. IV 662 sqq.), quorum ab hoc Manilius vivaces colores atque etiam nonnulla verba petivit, illi vero debet quaedam non levia, quae ad actionem attinent. Praeter eos parietum picturae quoque in expositione Andromedae describenda apud hunc poetam multum valuisse videntur.

3) I 433 sq. V 541 sqq. ex his versibus colligimus in pristina fabulae forma illius inundationis mentionem factam esse, quam conclusionem probant verba Apollodori II 4, 3, 2 '*καὶ Ποσειδῶν αὐταῖς* (*Νηρῆισιν*) *συνοργισθεὶς πλήμμυράν τε ἐπὶ τὴν χώραν ἔπεμψε καὶ κῆτος*' et Progymnasmaticorum (cf. J. Jacobs 'de studiis Progymn. mythographicis' p. 46 sq.). Apud mythographos autem, qui de fabulis sidereis agunt, pauca tantum vestigia eius rei et minus aperta inveni (cf. Ar. schol. v. 179 p. 372, 21, v. 657 p. 463, 17; Cat. p. 215 b, 13; B. P. p. 77, 18 [= S. p. 139]). Atqui auctor eorum communis certe rettulit eluviones, fortasse etiam oraculum (cf. Apoll. l. c.; Ar. schol. v. 179; Manil. V 543—45).

4) Manil. I 354 sqq. V 540 sqq. 616.

Andromeda[1]) et ad facinoris memoriam Cepheus[2]) Cassiope[3]) Cetusque[4]) in caelo collocati sunt. Mater autem propter impietatem pedibus in altum sublatis inter sidera ferri videtur, ubi lugens iniuriam filiae impositam luit (I 354 sq. 686 II 28)'.

At PERSEUS ipse victoria non a Ceto sed a Medusa parta sedem caelestem sibi paravit[5]), quam historiolam Manilius brevissime attingit.

AQUARI et AURIGAE cum catasterismos hic poeta enarret, nomina taceat, accurata versuum interpretatione opus est, ut perspiciamus 'illum esse Ganymedem[6]), quem Iovis iussu Aquila rapuit' et 'hunc Erichthonium[7]), cuius memoriam Iuppiter, quod eum pri-

---

1) Manil. V 617 sqq. — test.: Germ. 249; Nonni Dionys. 25, 126 sqq. 43, 166 sqq. 47, 449; Ar. schol. v. 198; Cat. p. 216; B. P. p. 78, 9; Hyg. II 11. fabulam Euripideam esse dicunt Cat., B. P., Hyg. (cf. Welcker, griech. Trag. II 666 sq. Robert, arch. Ztg. 1878 p. 19).

2) I 354. V 23. (verba II 29 non plane perspicio). — test.: Nonnus Dionys. 25, 139; Ar. schol. v. 179; Cat. p. 214; B. P. p. 77; Hyg. II 9.

3) Manil. I 354. V 23. — test.: Ar. 654 sqq. 196; Germ. 662 sqq. 199 sq.; Avien. 1202 sq.; Nonnus 25, 134. 43, 167. 47, 448; Ar. schol. v. 179. 653. 657. 669; Cat. p. 215; B. P. p. 77; Hyg. II 10. fabulam Sophocli tribuunt Cat. B. P. Hyg.

4) Manil. I 354 sqq. 433 sqq. V 15. 540 sqq. 657 sq. — test.: Ar. 353 sqq.; Germ. 356 sqq.; Nonn. 25, 127 sqq.; Ar. schol. v. 179; Cat. p. 257; B. P. p. 77 sq. 98. fabulam ad Sophoclem referunt Cat. — Paucis verbis a criticorum coniecturis defendam sideris nomina, quod ab hoc poeta et Piscis (I 356) et Cetus (I 433) atque etiam Cetum (V 15. 657) appellatur. 'Piscis' forma, quam in 'Pristem' Bentley mutavit, non offenditur, qui imaginum memor est et versus Ovidiani (met. IV 726) 'qua tenuissima cauda (ceti) desinit in piscem'. Nam dubitari nequit, quin Manilius partem pro toto ponat hic pariter atque aliis locis 'Capri' et 'Capricorni' nominibus (II 179. 659. IV 745), 'Urnae' et 'Aquari' (II 561) promiscue utatur. Item formam singularem 'Cetum' teneo, quae recurrit apud Mythographum Vaticanum III 6, 21 p. 186, 39.

5) Manil. (I 358 sqq.) V 22 (568. 572). — test.: Ar. schol. v. 251; Cat. p. 226; B. P. p. 82; (Hyg. II 12; fab. 224; Nonn. Dion. 25, 130). fabulam Aeschyli (*ἐν Φορκίσι* fr. 262) esse dicunt Cat. B. P. Hyg. (cf. Robert p. 130 adn.).

6) V 487 sqq. hanc interpretationem firmant nomen 'Iuvenis' apud Manilium saepe obvium (cf. p. 44) et versus a Bentleio recte restitutus (IV 797): 'Sed Iuvenis nudos formatus mollior artus'. Aquarius ab Aquila ipsa (V 488) non a Iove in alitem converso raptus est. — test.: (Ar. schol. v. 283); Cat. p. (235) 243; B. P. p. (85, 9) 91; Hyg. II 16. (29; fab. 224); Apollod. III 12, 2, 2 sq.; Clement. homil. V 17 (Ovid. fast. II 145; Avien. 647. 838; Ampel. II 11).

7) I 361 sqq. V 20. 67 sqq. adsentitur Ideler (Sternn. p. 91). Perperam Knaack (quaest. Phaeth. p. 79) dicit 'Bellerophontem Aurigam vi-

mum inter homines quadrigis vehentem conspexerat, sidere immortalem reddidit'.

URSAE MAIORIS fabulam nos exploraturos adiuvant, cum Helices nomen fidem non habeat[1]), verba (II 29) 'raptam Lycaone natam'. Neque enim fugiet eum, qui verba aliorum scriptorum[2]) in primis poetarum[3]) diligenter perscrutatus est, ut Hyginum verbo eripiendi ita hunc poetam rapiendi graecum ἐξαιρεῖν vertisse, quo mythographi[4]) non servatam sed terris remotam Callisto indicare solent. Hac re evincitur Manili animo hanc fabulae[5]) formam obversatam esse:

'Callisto Lycaonis filiam, quam, cum venans a Iove Dianae faciem simulante compressa esset, dea in ursam converterat, Iuppiter, ut eam[6]) ab Arcadibus urgentibus defenderet, rapuit memor peccati sui et inter astra collocavit'.

Duae de VIRGINE fabulae, cuius nominibus nihilo magis confidimus, apud hunc poetam investigantur. Eius verba (II 31)[7]) 'pietate ad sidera ductam | Erigonen' testium auxilio ita supplemus:

'Erigone, quae, cum Icarum patrem suum a pastoribus ne-

---

detur significare Manilius V 97 sqq.', cum illo loco de genituris Salmonei Bellerophontisque agatur, quod etiam Firmici VIII 16 verba probant 'hoc astro oriente Salmoneus et Bellerophontes a priscis auctoribus nati esse narrantur'. — test.: Germ. 157 sq.; Avien. 409 sq.; Cat. p. 207; B. P. p. 73; Hyg. II 13; Isidor. de orig. III 71, 34. fabulam ad Eratosthenem revocat Hygin. (cf. Knaack l. c. p. 54).

1) nam Helices et Cynosurae nomina nimis trita significationes mythologicas paulatim amiserunt ita ut Manilius eas et 'Arctos' promiscue usurpet.

2) Hyg. II 1 p. 31, 1 'ereptam Callisto'; II 4 p. 34, 22 'ereptos (Callisto eiusque filium)'; Liv. 39, 13, 13 'raptos a dis homines istos'.

3) Ovid. met. II 506 'sustulit et celeri raptos per inania vento | Imposuit caelo'; fast. II 188 'ni foret in superas raptus uterque domos'. (Germ. v. 92 'Icarus ereptam pensavit sidere vitam'.)

4) Ar. schol. v. 27 p. 344, 23 ἐξείλετο; Cat. p. 182b, 17. de ea re disputat E. Rohde, Psyche II² p. 374 sq.

5) ad fabulam respiciunt II 29 'raptam Lycaone natam'; III 359 'Prona Lycaoniae spectantem membra puellae' (de prona facie cf. Scal.² p. 237; Ovid. met. I 84, Avien. 254 sq.).

6) Eius filii Arcadis catasterismum a Manilio omissum non attingo. — test.: (Ar. schol. v. 27 p. 344, 11 sq.); Cat. p. 181 sq.; B. P. p. 58, 5; Hyg. II 1 p. 30, 4 — 31, 3; qui fabulam ad Ps.-Hesiodi Theogoniam (fr. 15) revocant (cf. Apollod. III 8, 2).

7) Manili versus I 316 sq. 396 sqq. 417 (cf. V 235 sqq.), V 20 quippe qui ne vestigium quidem fabulae Icariensis contineant, praetermitto.

catum vidisset, maerore permota de arbore se suspenderat, a Iove propter pietatem in caelo posita est'.[1])

Alterius lineamenta narrationis e dispersis memoriis, quae sive ad fabellam[2]) ipsam pertineant sive ad virtutes[3]) natis sub illo signo proprias, recuperamus. Hinc colligitur:

'Iustitiam, quae saeculis aureo argenteoque homines visitaverat et artibus pacis instruxerat, in caelum evolasse, cum eam ferrei saeculi pertaesum esset, et in Virginis signum se vertisse'[4]).

In his omnibus fabulis Manilius nota vestigia premit neque aut novi[5]) quid addit aut grave omittit. Pariter vacat alienis novisque fabula, quae de OLORE est; nihilo minus scrupulos virorum doctorum non sine causa movit. Narrationem ipsam quidem facile

---

1) test.: B. P. p. 66; Hyg. II 4. 25. fab. 130. 224; Ps.-Dosith. C. Gl. L. III 292, 8 sqq.; Ampel. II 6; Nonnus p. 373, 23 Westerm.; Cosmas p. 7, Eccehard. p. 605 M; Myth. Vat. I 19. II 61. III 15, 6; Paneg. in Mess. v. 11; Ovid. met. X 451; Aetna 586; Carm. Priap. LXII B.; Lucian. deor. cons. c. 5; schol. Iliad. X 29; Comment. Verg. ad Ge. I 33. 218. II 389. ad buc. IV 6; schol. Stat. Theb. IV 655; Nonnus Dionys. 47 (124) 246 (cf. R. Koehler ad h. l. p. 88). — Arati scholia in testium numerum refero, quoniam vestigia huius narrationis quamvis parva servarunt, sed a Catasterismis fabulam Icariensem abiudico, cum Cosmae auxilium ab aliis petitum reiciam (cf. ea quae infra dicam p. 47 sqq.). — Hanc interpretationem signi, quae Eratostheni (in 'Erigone') debetur, ante Ovidi Manilique aetatem iam notam vulgaremque fuisse demonstratur verbis Vergilianis (Georg. I 33) 'qua locus Erigonen inter Chelasque . . panditur'.

2) IV 382. 542 sq. ne quis putet permotus eo, quod Manilius sideri nunc 'Virginis' nunc 'Erigones' (quattuordecim) nomen indit et Germanicus (547. 621) de 'pia Iustitia' loquitur, etiam verba Maniliana (II 32) ad Iustitiam referri, cum primum fabula Erigones Manilio certe notissima fuerit, deinde illius pietas in proverbium veniret (Ovid. met. X 451. Ib. 611; Hyg. fab. 254; Servius ad Ge. I 33; Auson. epit. 29, 6), denique haec verba hoc loco alteram interpretationem non concedant. Quod Manilius de Erigone ipsa non de Virgine fabulam Iustitiae narrat (IV 542), non miratur, qui scit, quantum illud nomen scriptores triverint (cf. Hyg. f. 130; S. p. 125, 3; Prob. ad buc. IV 6; Mart. Cap. II 174).

3) IV 189 sqq. quorum versus 189—91 Scaliger explicat.

4) test.: Ar. 100 sqq.; Germ. 104 sqq.; Avien. 273 sqq.; Manetho B (A) 135; Nonnus Dionys. VI 102. 249. XVIII 304 (cf. R. Koehler ad h. l. p. 52 adn. 1) XLI 334); Ar. schol. v. 97; Cat. p. 201; B. P. p. 65; Hyg. II 25; Ampel. II 6; Prob. ad Ge. I 32; Iun. Philarg. ad Verg. buc. IV 6 (= mus. rhen. XV 121); Ps.-Hipp. ap. Maassium (A. E.) p. 144, 14; Myth. Vat. II 16. fabulam Arateam esse contendunt Hyg. Cat.

5) nam, quod uni sideri duas tresve (cf. p. 16) fabulas poeta adscripsit, non exprobabimus (Maximus [*περὶ καταρχῶν*] huius signi tres narrationes stringit: *Ἀστραία* (v. 9. 114. 291. 488. 553), *Ἰκαριώνη* (v. 90. 288. 443), *Δίκη* [v. 208]).

intellegunt, sed quomodo poeta exornaverit, cum non perspiciant, multi verba eius perperam interpretati sunt. Manilius enim ut enarret[1])

'Olorem, in quem Iuppiter mutatus cum Leda concubuerit, in caelo positum esse'[2]),

dicit (I 339 sq.)[3])

'. . Cum deus in niveum descendit versus olorem
Tergaque fidenti subiecit plumea Ledae'.

Sane mirum. Sed scrupuli eis eximuntur, qui poetam his verbis ad imaginem[4]) non ad singularem fabulae formam alludere percipiunt.[5])

Subsecuntur ei catasterismi, qui patefaciunt Manilium cum quibusdam scriptoribus artius cohaerere.

'ARGO, cum prima navis heroes per mare vexisset, non modo sideribus insertam[6]) sed deam factam esse'

---

1) I 337 sqq. II 31. V 25. 367 sqq.

2) test.: Germ. 276; Ar. schol. v. 273; Nonnus p. 363; Cosmas p. 5, 35 West.; Hyg. II 8 p. 45, 11—13. Ledae fabulam a Nemesis, quas Hygini auctor (II 8 p. 44, 21 — 45, 11) et compilator Germanici scholiorum (S. p. 152, 13) in unam confundunt, separandam esse e verbis Hygini (II 8 p. 45, 11—13), Arati scholiastae Nonnique (locis citatis) elucet.

3) Versus falso interpretatur Malchin (de auctor. quibusd. qui Posidoni meteor. adhib. Rost. 1893) p. 51.

4) Kalkmann (arch. Jahrb. I 243) demonstravit Manilium pictas puellas in oloribus sedentes sive certo consilio sive inscientia ad fabulam, quae de Leda est, rettulisse et artem poeticam pictura adiuvisse.

5) Cursim attingam versus, qui Scaligerum torquent, dico

V 382 sq. 'Ipse deum Cycnus condit vocemque sub illo
Non totus volucer secumque immurmurat intus'.

Vir summus enim ad eos adnotat ([3] p. 395) 'Ut Taurus Europae non totus taurus, sed aliquid adhuc repraesentans de Iove in eo latente, ita etiam Cycnus non totus volucer pingebatur, ut cognosceretur Iuppiter in eo conditus . . . Nondum enim ita totus cycnus ut non conditus in eo Iuppiter appareat . . .'. At qua in imagine Olor non totus volucer pictus est? Quae verba interpretationem Scaligeri probant? Multum abest ut Manilius Cycnum deum semiferum aut avem semideum significet; immo vero dicit Olorem, etsi totus volucer sit, tamen vim et impetum dei retinere, quibus Ledae animum percutiat et feminam amoris ardore afficiat. Haec verba cum monumentis notis congruunt (cf. Overbeck, kunstmyth. Atlas VIII 17. 22).

6) test. huius vulgaris formae: Arat. 348; Germ. 345. 350 sq.; Vitruv IX 7, 2; Seneca Herc. f. v. 7; Manetho B (A) 104 sqq.; Avien. 756; Ar. schol. v. 348; Cat. p. 255; B. P. p. 97; Hyg. II 37. fab. 14. Auctorem fabulae nomine sideri arte coniunctae scriptores tacent.

hic poeta[1]) et Cat. soli[2]) referunt secuti Stoicorum[3]) disciplinam. Mirus consensus etiam verborum:

Manil. I 412 sqq. 'tum nobilis Argo In caelum subducta mari, quod prima cucurrit, Emeritum magnis mundum tenet acta periclis Servando dea facta deos'.

Cat. p. 255 "Ἀργὼ ... πρώτη τὸ πέλαγος διεῖλεν ἄβατον ὄν, ... εἰς δὲ τὰ ἄστρα ὑπετέθη .. ὅπως αὐτῆς ἡ δόξα ἀγήρατος διαιμείνηι οὔσης ἐν τοῖς θεοῖς'.

Necessitudo patet. Contingit vero, ut alterum argumentum afferre possim. Obscura enim Manili verba (I 346) 'DELPHINUS | Oceani caelique decus per utrumque sacratus' Catasterismis[4]) concinentibus (p. 245b, 14) 'μεγίστας τιμὰς ἐν τῆι θαλάσσηι αὐτῶι (Δελφῖνι) ὥρισεν ... καὶ εἰς τὰ ἄστρα αὐτοῦ σύστημα ἔθηκεν (scil. ὁ Ποσειδῶν)' ita illustrantur ut hanc fabulam[5]) restituamus:

'Delphinum, cum Amphitritae, ut Neptuno nuberet, persuasisset, deus honoribus in mari summis affecit et inter astra collocavit'.

Consensus quomodo explicandus sit, posteriore capite quaeremus.

Ad Hyginum LYRA ducit. Uterque[6]) narrat:

'Lyram, quam cum Orpheus a Mercurio ipso, inventore, accepisset et admirabiliter adhibuisset ad saxa silvasque et deos, in caelo positam esse'.

Scholiasta Arateus[7]) et Cat.[7]) in eo differunt, quod vatem illam per Apollinem nactum esse contendunt, quae fabulae forma ab hac distinguenda est.[8]) Sed cum Hyginus Manilio dissentiente, pro-

---

1) Manil. I 412 sqq. 623. 694. IV 279 sqq. V 13. 36 sqq.

2) Cassiopen inter deas relatam esse dicit Arati scholiasta (p. 374, 6).

3) cf. Zeller, Phil. d. Gr. III³ 1 p. 190. 316; Maass, index lect. Gryph. 1893/94 p. V (idem Hermae XXXI p. 419 adn. 2).

4) inde Germ. schol. B. P. p. 92, 9 'marinos honores in mari tribuit'.

5) test.: Ovid. fast. II 81; Germ. 322 sq.; Avien. 701 sqq.; Ar. schol. v. 318; Cat. p. 244 sqq.; B. P. p. 92; Hyg. II 17. fabulam Artemidoro (in Elegiis de Cupidine conditis) tribuunt Cat. B. P. (cf. Robert p. 31 sq. et sub Addendis; Maass, Arat. p. 325 sq.).

6) Manil. I 324 sqq. V 325 sqq.; Hyg. II 7 p. 42, 24 — 43, 5; fabulam esse Eratosthenicam dicit Hyginus.

7) Ar. schol. v. 268/69; Cat. p. 230; T. p. 7; B. P. p. 84, 3 sqq. — test.: (Ar. 269. 597. 674; Cic. 43 sq.; Germ. 270. 279); Avien. (618 sq.) 623 sqq.

8) cf. Hyg. II 7 p. 43, 15 sqq. 'alii autem dicunt Mercurium, cum primum lyram fecisset ... (p. 44, 4) Apollo lyra accepta dicitur Orpheo docuisse ...'; B. P. p. 84, 4 'quam (scil. Lyram) postea Apollini datam, alii Orpheo dicunt'.

bantibus aliis testibus ea referat[1]), quae Orpheus fecerit apud inferos, illi consensui minus tribuo quam huic de Aquila argumento. AQUILAE enim situm describens in eodem uterque errore versatur, quippe quam Aquari signum circumvolantem fingant[2]) ducti 'fabella[3]), quae de Ganymede a Iovis ave rapto est'. Iure Scaliger[4]) hanc siderum descriptionem a vera condicione tabulisque pictis[5]) multum discrepantem reprehendit. Meo igitur iure argumenti instar erroris communionem esse iudico, quo necessitudinem eorum ostendam artissimam.

His praemissis Arati scholia in quaestionem vocanti fabularum consensio videtur perexigua. Velut ut HYDRAM significet, narrationem, quae de Custode Hesperidum est, paucis[6]) attingit (V 16). Hac re nemo, quantum scio, adhuc offensus est, quamquam omnes[7]) mythographi illam fabulam sideri Draconis adscribunt. Equidem hanc confusionem[8]) puto eo factam esse, quod poeta in catasterismorum quodam exemplari aut nomen utriusque sideris vocem *Δράκοντος*[9]) aut indicem[10]) fabulae verba '*ὁ Δράκων ὑφ' Ἡρακλέους φονευθείς*' legerat et ea re erat deceptus. Vix alio modo hunc errorem expedias. Hoc posito illud exemplar scholiis Arati, quae

---

1) Hyg. II 7 p. 43, 4 sqq.; Cat. p. 231, 14 sqq.; T. p. 8, 10; B. P. p. 84; ∾ Manil. I 327. V 329 (cf. Apollod. I 3, 2).

2) Manil. V 489 '(Aquila) extentis praedam (Aquarium) circumvolat alis' [externis codd. corr. Molinius] ∾ Hyg. II 16 p. 55, 15 'itaque supra Aquarium volare videtur (Aquila)'.

3) Manil. I 343 sqq. V 487 sqq. — test.: Germ. 317 sqq. (Avien. 694); Cat. p. 243; B. P. p. 91; Hyg. II 16; Servius ad Aen. I 394; historiola fortasse est Aglaosthenis aut Epimenidis (cf. Rehm p. 46 n. 4).

4) Scal.[2] p. 451 sq.

5) Thiele tab. III.

6) V 16 'Hesperidumque vigil custos et divitis auri'. Hunc versum ne quis de Dracone intellegat, attendas ad enumerationis dispositionem et Anguem septentrionalem paucis post commemoratum (V 19).

7) Ar. schol. v. 45; Cat. p. 187; B. P. p. 60; Hyg. II 3; Probus et Servius ad Ge. I 205. 244. Hi narrant: 'Draconem, cum mala aurea Hesperidum custodivisset et ab Hercule interfectus esset, in caelo positum esse'. Pherecydem fabulae auctorem esse dicunt Cat. B. P. Hyg.

8) Eadem in astrothesia confusio invenitur apud Statium (Theb. V 529).

9) velut Hipparchus '*Δράκοντος*' nomine 'Hydram' nominat p. 108, 13; Manilius ipse 'Anguis' nomen et 'Draconis' sideri et 'Hydrae' indit (I 306. V 19 ∾ I 415), [item Avien. 148 ∾ 1005. cf. Servius ad Ge. I 205].

10) cf. B. P. p. 70 . . . 'Cancer, quod, cum Hercules cum Hydra . . . depugnaret . . .', ibid. p. 60 '. . custodem horti draconem, quem Hercules occiderit.'

non solum fabulam de Dracone sed simul etiam de Hydra[1]) ita ut desideratur continent, proxime accedit. Parum docebit alterius fabulae quaestio, in qua ratiocinamur e rebus quibusdam similiter omissis. De ARAE enim sidere, 'quae voto deorum soluto inter astra collocata est'[2]), cum non tam faciem eius et fabricationem quam bellum Gigantum saepe[3]) celebratum omnibusque notum verbis ne novis quidem describat, Manilius brevem et amputatam narrationem in libello suo invenisse videtur. Illa fôrma est fabulae apud Arati scholiastam[4]) obviae. Accedit ut Iovem pugnantem non contra Saturnum sed Gigantes aut, qui vulgo idem putantur, Titanes faciat uterque[5]) a ceteris discedens.

Si rationem eorum facimus, quae hucusque nostris quaestiunculis effecta sunt, intellegimus hunc poetam cum mythographis coniunctum esse arto vinculo.

Iam transgrediamur ad eos catasterismos, quorum formae aliquo modo mutatae apud Manilium exstant.

'ARIETEM, qui, cum Phrixum et Hellen mare transvexisset, inter signa positus est[6]), in caelo quoque aureo vellere videri indutum'

Manilius[7]) dicit repugnans cum omnibus[8]) testibus. Duo esse possunt: aut poeta priorem fabulae formam a Catasterismis Arati

---

1) v. 443 p. 424, 22 'τοῦτο δὲ τὸ ζῴδιον οἱ Ἕλληνες Ὕδραν ἐκάλεσαν τὸ ζῶιον, ὃ κατηγωνίσατο ὁ Ἡρακλῆς· — fabulam, quae de Dracone in scholiis legitur (p. 349, 18 sq.), aliquando uberiorem fuisse apparet.

2) Manil. I 420 sqq. V 18. 340 sqq.; narrant: 'Aram Iovem in caelo posuisse, cum in ea dei ante bellum Giganteum vota fecissent'. — test.: Ar. schol. v. 403; Cat. p. 263; T. p. 14; B. P. p. 99; Hyg. II 39. fabulam Arati schol. ad Eratosthenem revocat, quem ex Aglaosthenis Naxicis hausisse Robert p. 8 putat.

3) I 420 sqq. II 874 sqq. III 5 sqq.

4) v. 403 p. 418, 24—26. nam alteram formam, quae priorem in scholiis subsequitur, e Cat. amplioribus esse interpolatam unusquisque intellegit (cf. T. p. 14).

5) Sane Hyginus quoque (l. c.) cum eis consentit.

6) Manil. II 34. III 304. IV 514 sqq. (615). 746 sqq. V 32 sqq. (378). — test.: Ovid. fast. III 850 sqq. IV 715 sq.; Germ. 532 sqq.; Avien. 1283; Auson. ecl. 8 p. 12. 9, 4 p. 13; Ar. schol. v. 225; Cat. p. 221; T. p. 5; B. P. p. 79 sqq.; Hyg. II 20; Ampel. II 1; Myth. Vat. III 15, 1.

7) I 263. II 215. 532. III 304. 445 (itaque Scaligeri coniectura II 522 est refutanda). Manilium Germanicus (v. 532) sequitur.

8) Etsi cod. T (p. 5) et versio lat. (p. 222) verba 'ὅθεν ἀμαυρότερον φαίνεται' omittunt, tamen pelli detractae et ab Aeete suspensae opponunt Arietem exutum positumque in caelo.

gratia immutatam[1]), in qua sideris splendor non commemoratus erat, repetivit aut ipse novavit. Hoc alterum si probabitur, dubium id quoque erit, ille vero signi iubari permotus an memor Hipparchi[2]) fingerit.

'TAURUM', quem ipsum Europam rapuisse tradunt mythographi[3]), Manilius[4]) narrat 'Iovi puellam decepturo faciem concessisse'. Ea fabula signum explicavit Ovidius primus, quem hic poeta vel singillatim sequitur. Ovidi enim, qui ornamenta narrandi ab Alexandrinis[5]) prompsit, sunt cum forma fabulae Maniliana singulaque verba tum appellatio terrae.[6]) Hic poeta igitur eandem narrationem Tauri signo atque astronomi et mythographi adiungit sed eius formam ab Ovidio mutuatus est.

Consimilis res in CAPRA, etsi non tam e fabula ipsa quam e bestiae cognomine Manilium aliunde prompsisse cognoscimus. Nam Caprae, 'quam Iovis in Creta nutricem fuisse' ceteris[7]) probantibus poeta[8]) contendit, imponit[9]) nomen Oleniae. Ne illud putemus vestigium fabulae, quam de Oleni filia Arati scholiasta (v. 164) et

---

1) cf. ea quae Maass disputavit A. E. p. 27 sq.; nam Boehmi refutationi (mus. rhen. XLII p. 305) non assentior.

2) I 6, 7, 10 sq.

3) Ar. schol. v. 167; Cat. p. 211, 8 sqq.; B. P. p. 74; Ampel. II 2; Hyg. II 21 p. 62, 7—8; praeter eos: Seneca H. f. v. 9; Gaetulicus ap. Prob. ad Ge. I 227; Lydus de ostent. c. 24 p. 59, 9 W.[2]

4) II 489 sqq. IV 681 sqq. — test.: Ovid. f. V 603 sqq.; Germ. 536 sqq.; Prob. ad Ge. I 217; Nonnus Dion. I 45. 356. XXXIII 287. XXXVIII 394; Isidor. orig. III 71, 24; Myth. Vat. III 15, 2.

5) Etsi nobis Moschi unius, a quo Ovidius pendet, epyllion servatum est, quod Scalig.[3] p. 145 Theocrito more priorum tribuit; cf. Kiessling ad Hor. carm. III 27.

6) Ovid. fast. V 618; Manil. IV 684. Parva discrepantia, quae in eorum descriptionibus Europae trans mare vehentis investigatur (Manil. II 489 sq. ~ Ovid. f. V 607 [= Mosch. II 126] met. II 874) neminem torqueat, cum diversis picturis efficeretur (cf. imagines, quas O. Jahn, Denkschr. d. Wien. Akad. 1870 tab. Ib, IIIb, VII et Overbeck, kunstm. Atlas tab. VI 10. 18. 19. 20a afferunt). Sed etiam scriptores Europam cornu tauri laeva manu tenentem describunt velut Lucian. dial. mar. XV 2, Achill. Tat. I 1; Anthol. Lat. I[2] 1 p. 50, 29.

7) Ar. 163; Ovid. f. V 111 sq. (III 442); Germ. 165 sqq.; Avien. 406 sqq.; Nonnus Dion. XXIII 314; Ar. schol. v. 161; (Cat. p. 209 b); B. P. p. 73, 7; (Hyg. II 13); Anton. lib. c. 36; (Prob. et Serv. ad Ge. I 205); Firmic. Mat. VIII 6 (haec est una fabula siderea, quantum memini, quam Firmicus continet). Historiolae auctor est Epimenides (cf. Maass, Arat. p. 341 sqq.).

8) I 366 sqq. II 30. V 130 sqq.

9) V 130.

Hyginus (II 13 p. 48, 8 sqq.) tradunt, eo impedimur, quod consensus non est de loco.[1]) Apud Aratum autem (v. 164) *ὠλενίην Αἶγα* legimus 'cubitalem Capram'[2]), quippe quae in humero Aurigae sinistro stare videatur, quod scriptores[3]) maxime poetae male ad fabulam rettulerunt ut Ovidius (her. XVIII 188. met. III 594. fast. V 113), Seneca (Med. 313), Statius (Theb. III 25. IV 401), Nonnus (Dionys. I 450). His Manilium quoque inseram, quem Aratum per Ovidium adiisse nomine 'Capellae'[4]) et verbis eorum saepe simillimis[5]) manifestum fit. Ergo etiam haec fabula cogit hunc poetam, quatenus narrationem ipsam tetigerit, cum ceteris scriptoribus congruere, quae peculiaria addiderit Ovidio debere.

CORONAE fabulam breviter commemoratam non perspiceremus, nisi quantum Ovidius apud Manilium valuerit antea intellexissemus. Versus Manili adscribam:

I 319 sqq. At parte ex alia claro volat orbe Corona
Luce micans varia, nam stella vincitur una
321 Circulus, in media radiat quae maxima fronte
Candidaque ardenti distinguit lumina flamma
Gnosia desertae et fulgent monimenta puellae.

V 21 Ariadneae caelestia dona Coronae

---

adn. crit.: 321 radiat M, radians G, medio radians cett. ad verba 'in fronte' suppleas 'coronae' (cf. Mart. Cap. I 75), quo loco praeclara stella est (cf. Plin. XVIII 313. Colum. XI 2, 73. Ideler, Sternn. p. 58. Thiele p. 94).

---

1) cf. Manil. IV 634 ~ Hyg. et Ar. schol. l. c. (cf. Apollod. ap. Strabon. VIII 387).

2) cf. Maass, Arat. p. 341 (Ideler, Sternn. p. 93. Buttmann, ibid. p. 309).

3) Etiam Apollodorus (cf. adn. 1) et Hyginus hanc vocem perperam percepisse et, ut eam explicarent, fabulam finxisse mihi videntur.

4) 'Capellae' nomen apud Ovidium Maniliumque solos Plinio (h. n. XVIII 248) excepto occurrit.

5)

Manil.	Ovid. f.
V 130 Olenie	V 113 Olenia Capella (met. III 594)
130 servans praegressos Haedos	117 mater Haedorum (cf. Rehm p. 34)
132 officio magni Iovis mater	112 stella officiosa in cunas Iovis
I 370 caeli caelum mercede rependit	114 illa dati caelum praemia lactis habet
366 nutrito rege	120 nutrix Iovis.

V 251 sqq. Iam subit Erigone. quae cum tibi quinque feretur
Partibus ereptis ponto, tollentur ab undis
253 Clara Ariadneae quondam monimenta Coronae,
Et molles tribuent artes. hinc dona puellae
Namque nitent, illinc oriens est ipsa puella.

Nobis versus excussuris opitulatur Ovidi consensus.[1]) Hinc elucet:

'Venerem[2]) Ariadnae Coronam a Vulcano fabricatam dotem dedisse et Bacchum[3]), ut suum puellae a Theseo desertae[4]) amorem immortalem redderet, in caelo posuisse'[5]),

quibus de causis Manilius eam caelestia[6]) dona et monumenta desertae puellae iure appellat. At quid sibi volunt verba 'hinc dona puellae nitent — illinc oriens est ipsa puella'?, ad utram pertinent Ariadnam an Erigonen? Coronam in caelo quoque Ariadnae capiti impositam esse falso putat Scaliger[7]), cum obstent et verba Manili ipsius et similes[8]) Catulli Ovidi Probique narrationes. Sed iure ei[7]) videtur hic poeta Ariadnam ipsam quoque inter sidera collo-

---

adn. crit.: 251 'subit' pro 'surgit' I 365. II 185. V 358. ter codd. tibi Bentley (cf. Firm. Mat. VIII 11). feruntur codd. corr. edit. princ. 253 Cara codd. corr. Scal. cf. I 319; Ar. v. 71; Ovid. her. XVII 151. met. VIII 178; Germ. 71; Avien. 1080.

---

1) Manil. I 319 ~ Ov. met. VIII 178 sq.; M. 323 ~ O. 176; M. 320 ~ Ov. f. III 516; M. V 253 (I 323) ~ Ov. f. III 513; M. I 323 ~ Ov. a. a. I 556.

2) Manil. V 21 'Ariadneae caelestia dona Coronae' (Hyg. II 5 p. 39, 21 coronam 'immortale donum' esse dicit) ~ Ov. fast. III 514.

3) Ov. fast. III 508. met. VIII 177.

4) Manil. I 323 ~ Ov. met. VIII 176. fast. III 459 sqq. Manilius et Ovidius hac re cum Arato (v. 72) eiusque sectatore Nonno (Dionys. XLVIII 971) discrepant.

5) testes, qui consentiunt aut in tota fabula aut in magna parte: Ovid. (a. a. I 525—58. met. VIII 176 sqq.) fast. III 507 sqq.; (Seneca H. f. 18; Avien. 198; Claudian. de nupt. Hon. X 272; Diodor. VI 4 [= Tertull. de corona VII]; schol. ad Apoll. Rhod. III 996; Comment. Vergil. ad Ge. I 222. Aen. III 125; Acro ad Hor. carm. II 19, 14; Nonnus p. 363, 20 West.; Ptolem. Heph. p. 191, 25 West.; Myth. Vat. II 124. Lact. Placid. VIII 2 p. 846 Stav.) Ar. schol. v. 71; Cosmas p. 5; Cat. p. 192; T. p. 1; B. P. p. 62; Hyg. II 5 p. 38, 16 sqq., — Pherecydis fr. 106 ab eis longe distat.

6) V 21 'caeleste' id est 'a deo datum' cf. I 3. Prop. II 3, 25. cf. adnot. 2.

7) Scal.[3] p. 373. idem p. 43, quo loco versum I 321 perperam interpretatur (cf. ea, quae supra p. 13 in adn. crit. dixi).

8) Cat. p. 66, 59 sqq. Ovid. met. VIII 178. Probus ad Georg. I 222.

casse. Nam verbum 'oriendi' ad sidus et vox 'ipsa' antecedente voce 'puella' (V 254 sq.) ad illam spectant. Eius catasterismum Manilius quidem expressis verbis nusquam commemorat et plurimi scriptores[1]) eam immortalem factam una cum Baccho in caelum vexisse tradunt, sed aliquot gravesque exstant, qui Scaligeri comprobant sententiam. Primus Propertius III 17, 8[2]):

'te [Bacchum] quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis',

deinde Seneca, qui Phaedram Ariadnam ita invocantem fingit (v. 663):

'te, te, soror, quacunque siderei poli
in parte fulges, invoco . . .',

his similia verba sunt Nonni (Dionys. XLVII 703):

'εἰ χθονὶ λάμπει
αἰθέρα ναιετάουσα μετὰ Κρήτην Ἀριάδνη;',

tum Iustinus Martyr. (in Apol. I ad Anton. Pium c. 21):

'. . . τί γὰρ λέγομεν τὴν Ἀριάδνην καὶ τοὺς ὁμοίως αὐτῆι κατηστερίσθαι λεγομένους',

denique Eustathius qui ad Od. XI 324 adnotat:

'οἱ μὲν νεώτεροί φασι . . . ὕστερον δὲ ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι αὐτήν (Ariadnen) τε καὶ τὸν ῥηθέντα στέφανον καὶ τὸν αὐτῆι ἀποκολουθοῦντα κύνα'.

Ariadnae catasterismum et poetis Augusteis et compilatoribus aetatis posterioris notum fuisse his e testimoniis cum eluceat, iam doctos Alexandrinos, fontem illorum communem, eum finxisse iure ratiocinamur. Haec sententia eo firmatur, quod illum cognovisse videntur etiam Cat., quippe qui septem stellas ad Leonis caudam sitas πλόκαμον Ἀριάδνης appellent (p. 193b). Manilius quoque ab illis aliquo modo pendeat fortasse Ovidio intermedio. Nam Ovidi verba (fast. III 513) 'sintque tuae tecum faciam monumenta Coronae' iure possunt intellegi de Ariadnae catasterismo.[3]) Totam igitur fabulam Manilius apud Ovidium invenire potuit. At sedes Ariadnae caelestis nobis est indaganda. Cum eius sidus a

---

1) Hesiod. Theog. 949; Lucian. deor. cons. c. V; Quint. Smyrn. IV 387 sqq.; Hyg. f. 224; Probus ad Ge. I 222; Lactant. div. inst. I 10 p. 35 (exscripsit Ovidium fast. III 510 sqq).

2) Naecke (Valer. Cat. ed. p. 181) et Rothstein (in edit.) Brouckhusium secuti versus male explicant.

3) Eodem modo versus interpretatur Daniel Pareus, qui in schedis suis adnotat 'solebant nimirum οὐ μόνον τὸν στέφανον ἀλλὰ καὶ αὐτὴν τὴν Ἀριάδνην καταστερίζειν'. (cf. Merkel, prol. Ovid. fast. p. XC).

Corona non longe abesse et una cum Erigone oriri Manilius ipse dicat (V 251 sqq.) et verba 'oriens ipsa puella' ad antecedentia 'subit Erigone' (V 251 sqq.) respiciant, evincitur Ariadnam eandem esse atque Virginem. Hanc interpretationem[1]) sideris, in qua poetae Eustathius[2]) unus, quantum scio, adsentitur, cui debeat certo satis statui nequit, veri simile est eum iterum adiisse eundem fontem.

Igitur ne hi peculiares quidem catasterismi e remotis fontibus prompti sunt, ita ut magna illa necessitudo, quam inter Manilium et compendia mythologica supra[3]) patefecimus, nihilo eis minuatur.

Novam quaestionem, in quam vocabimus raras fabulas, incipiamus a PISCIBUS.

'Eorum facie se circumdedisse Venerem, cum a Typhone fugata in Euphratem insiluisset',

Manilius refert[4]), quocum levibus differentiis neclectis consentiunt Ovidius[5]) Hyginus Ampelius. Ceteri scriptores illi signo, quod cum maiore Pisce arto eodem vinculo atque Hyginus[6]) coniungunt, aut

---

1) Eam comprobant Scal.[3] p. 373 et Maass, A. E. p. 86 (cf. de Germanici prooemio IV[4]).

2) qui confundens Ariadnae fabulas et Erigones adnotat ad Od. XI 324 '. . . . *ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι αὐτήν τε καὶ τὸν ῥηθέντα στέφανον καὶ τὸν αὐτῆι ἀποκολουθοῦντα κύνα*'.

3) p. 11.

4) II 33. IV 579 sqq. IV 800 sq. Ut hoc loco veram poetae manum restituam, utar hac occasione.

Piscibus Euphrates datus est, ubi pisce surrupta,
Cum fugeret Typhona, Venus subsedit in undis.

Ita dixit sine dubio Manilius, cuius verba codd. varie corrupta repraesentant (pisces MV[2] piscis GV[1], uruptor GMV[2] irruptor V[1]). De hac forma verbi subripiendi, quae etiam III 352. 355 restituenda est, disputaverunt Ritschl opp. II 67. IV 544. V 350. Ellis p. 95.

5) Ovid. fast. II 459 sqq., quem exscripsit Myth. Vat. III 15, 2 p. 256. — Hyg. II 30, ex quo aut eius exemplari fabula contracta fluxit, quae in codice Sangallensi 878 legitur (cf. Wieck, Berl. phil. Woch. 1900 p. 1309). — Ampel. II 12. Hae sunt eorum differentiae: primum Manilius et Ampelius fabulam narrant de Venere sola, alii de ea et Cupidine; deinde Manilius Ampelius Hyginusque deam in piscem se mutasse dicunt, Ovidius eam piscibus servatam esse (aliter met. V 331); denique illi Typhonem ipsum Venerem persequentem inducunt, hic deam putantem a Typhone se urgeri fingit.

6) II 30 p. 71, 1 sq. 'Eratosthenes autem ex eo pisce natos hos dicit, de quo posterius dicemus' ∼ Cat. p. 224; B. P. p. 81. Ar. schol. v. 239. Hyg. II 41 p. 78, 12 '. . . Piscis et eius filiorum, de quibus ante diximus' ∼ Cat. p. 261; B. P. p. 99; Ar. schol. v. 386.

aliam[1]) narrationem quamvis similem adscribunt ut Nigidius[2]), Germanicus[3]), Hyginus fabularum compositor, aut nullam ut Cat.[4]) Cum ex horum comparatione intellegatur in communi fonte catasterismos omnium Piscium una fabula explicatos[5]) et in descriptione minorum ad maioris delegatum fuisse[6]), apparet Hyginum duos fontes confudisse, quorum ex altero narrationem ex altero verba ad cognationem Piscium pertinentia prompsit.[7]) Hic ei est communis et mythographis, illinc Manilius quoque et Ovidius Ampeliusque hauserunt. Eum indagaturi Diognetum Erythraeum, auctorem Hygini[8]) prorsus ignotum, neclegemus et utemur eis indiciis, quae nos magis adiuvant. Signi catasterismum, cum Hyginus ipse de eius necessitudine et Capricorni loquatur[9]) et Manilius eum una cum multis discrimine non facto afferat (II 33), quasi omnes ibidem invenerit, non ab aliis dissociatum sed in fabularum sylloga exstitisse colligimus. Ad eandem conclusionem Ampelius[10]) ducit. Narrationem inde promptam hunc poetam suo Marte leviter mutavisse evincitur consensu Hygini Ovidique. Nam dubitari non potest

---

1) de Ovo Syriae deae.

2) apud B. P. p. 81, 20 et Ampelium II 12; e Nigidio fluxerunt ea quoque, quae apud Ps.-Dositheum (C. Gl. L. III 59, 7) leguntur.

3) v. 563. — Hyg. fab. 197.

4) p. 224. — Arati scholiasta (ad v. 239) Pisci australi fabulam Piscium geminorum perperam subiecit cf. Cat. p. 261. T. p. 13; B. P. p. 98; Hyg. II 41; Avien. v. 541. 646.

5) Cat. p. 261; T. p. 13 '*οὓς πάντας δι' ἐκείνην Ἀφροδίτης οὖσαν θυγατέρα καὶ ἐτίμησαν καὶ ἐν τοῖς ἄστροις ἔθηκαν*'. B. P. p. 99; Hyg. II 41.

6) cf. p. 16 adn. 6.

7) Hyg. II 30 p. 70, 18 — 71, 1 = Ovid. = Manil. = Ampel.; p. 71, 1, 2 = Cat. etc. cf. p. 16 adn. 6; idem cadit in scholia Germanici, quae fabulam Nigidianam verbis e communi fonte promptis annexuerunt.

8) II 30. Ea, quae Robert p. 233 et Rehm p. 32 sq. de hac fabula Hyginiana disseruerunt, caduca sunt.

9) II 30 p. 70, 20. Cum utraque fabula caerimoniam, qua Syri et Aegyptii bestias quasdam colunt, fuga deorum et transfigurationibus ita similiter explicet, ut duae unius narrationis partes putentur, coniciam Diognetum Erythraeum unum esse e 'poetis' citatis (Hyg. II 28 p. 69, 23). Nam sacerdotum Aegyptiorum auctoritatem Hyginum simulare demonstravit Jablonski (Panth. Aegypt. III p. 49 sqq.). Illius aetium, in quo Piscium catasterismi et Capricorni breviter prolati erant, pervenit aliquo modo in fabularum siderearum syllogam et duorum signorum gratia distractum est. Ibi invenit Hyginus narrationem et auctoris nomen. De origine fabulae ipsius et simili Piscis maioris catasterismo disputare longum est (cf. Holland, Philolog. 59 p. 348 sqq., qui quaestionem non absolvit).

10) qui duas de Piscibus fabulas in uno fonte invenisse videtur.

quin fabula integra de Venere et Cupidine egerit[1]) et causam Syrorum abstinentiae complexa sit.[2]) Itaque ne Piscium quidem catasterismum Manilius a fonte remoto acceptum refert.

GEMINI qui sint, Manilius indicat hisce versibus:

IV 755 sqq. 'Euxinus Scythicus pontus sinuatus in arcus[3])
Sub Geminis te, Phoebe, colit; post bracchia fratris[4])
Ultimus et solidus Ganges et transcolit India'[5]),

in quibus 'fratris' nomen Hygini[6]) auxilio et aliorum[7]) ita explicamus[8]), ut in eius locum 'Herculem' substituamus. Haec signi interpretatio non mythologorum sed astronomorum[9]) esse videtur, qui Apollinem Herculemque, cum eis vulgaris Graecorum et Romanorum[10]) opinio planetas non tribuat, coniunxerunt cum eo sidere, quod in alterius tutela est.[11]) Eam unde hic[12]) poeta petiverit nescio, promptam fuisse mythographis ex Hygino cognoscitur.

Denique exponamus narrationes de LACTEO ORBE fabulosas.

---

1) nam ad duos Pisces duo dei quadrant.

2) quo alio modo fieri potuit, ut Ovidius et Hyginus eodem loco post eandem narrationem eundem populi alieni morem commemorent?

3) Clausula versus est Ovidiana (met. XIV 51).

4) cf. II 568. V 157.

5) Versus nondum sanatus est; lectiones codicum: te colit V[1] transcolit cett., India Cancer omnes codd. ('Cancer' est lemma versuum sequentium).

6) II 22 p. 64, 22 'alii dixerunt Geminos Herculem esse et Apollinem'.

7) Varro de r. r. II 1, 7 sq.; Ptolemaeus tetrabibl. I 7; Servius ad Aen. XI 259, quem exscripsit Mythogr. Vat. I 181. III 10, 6.

8) Interpretati sunt ita ante me Huetius, Scaliger[3] p. 115. 323; Weber (Corp. poet. lat. ad IV 751); Ideler (Sternn. p. 151); Jacob ad I 265; Ellis p. 147; Bouché p. 136.

9) Varro l. l. 'astrologi etc.'; Hyg. p. 64, 16 'conplures astrologi', 64, 22 'alii dixerunt etc.'. Apollo et Hercules in nummis Alexandriae astrologicis sunt cf. Thiele p. 68.

10) aliter apud Aegyptios, qui planetam Mercuri Apollini, Martis Herculi adscribunt cf. Plin. h. n. II 8, 34. 39; Hyg. II 42, p. 79, 11; Achill. p. 43, 21. 25. Servius ad Aen. VIII 275. 285. Cum Achillis verbis conferas horoscopum Antiochi, Commagenae regis, Leonis anaglypho repraesentatum, in quo insculpta sunt haec nomina: '*Πυρόεις Ἡρακλ[έους] Στίλβων Ἀπόλλωνος Φαέθων Διός*' (Humann-Puchstein, Reisen in Kleinasien p. 329. 335[4]).

11) Manil. II 440, quo loco poeta cognomen Apollinis Geminis indidit cf. Tibull. II 3, 11. Verg. ecl. IV 57. Signorum deos tutelares continet Calendarium rusticum C. I. L. I[2] 1 p. 280, cuius ordinem restituit Th. Mommsen, röm. Chron.[2] p. 305.

12) Artes, quas natis sub illo signo proprias esse Manilius dicit (IV 152 sqq. 381. 525 sqq.), maxime ad Apollinem quadrant.

Eam, quae de Sole reverso est[1]), excludo ab hac quaestione, quoniam ut alii scriptores[2]) ita Manilius naturam eius mythologicam hic[3]) prorsus neclexit. Naturalibus duas explicationes fabulosas poeta inseruit; altera haec est:

I 750 sqq. Nec mihi celanda est famae vulgata vetustas
Mollior: e niveo lactis fluxisse liquorem
Pectore reginae divum caelumque colore
Infecisse suo. qua propter lacteus orbis
Dicitur, et nomen causa descendit ab ipsa.

Hanc de lactei circuli origine historiolam Eratosthenem, a quo hic poeta aliqua mutuatus est, diversis operibus non uno modo narravisse Achilles (p. 55, 10 sqq.) dicit. Duas fabulae formas, cum scriptores non solum arte coniungant sed etiam varie permisceant, in pristinam integritatem me reducere imprimis necessarium est ad quaestionem nostram. Ex Arati scholiastae (ad v. 474) et Hygini (II 43 p. 80, 12—15) verbis hoc alterius fabulae argumentum recuperamus, quam in carmine[4]) 'Mercurii' Eratosthenem commemorasse veri simile est:

'Mercurium, quem inscia nutriverat, Iuno nothum cognitum ita a se reiecit, ut lacte effuso caelum aspergeret'.

Altero opere autem, *Καταμερισμόν*[5]) dico, eundem fecisse deam Hercule mammam vehementius sugente iratam lac eiaculantem prodit[6]) Achilles. Eximie poeta excogitat a Mercurio decipi Iunonem

---

1) Quidam narrant lacteum orbem olim fuisse Solis viam, quam facinore Thyestis conspecto reliquerit cf. Achill. p. 55, 18. Philopon. ad Aristot. l. i. c. p. 101, 32 sqq.

2) velut Aristoteles (meteor. I 8 p. 345ᵃ, 16); Philo Iudaeus (de provid. p. 101. cf. Hiller, Eratosth. fr. XVI p. 47); Aetius III 1, 2; Isidorus (etymol. III 46).

3) I 729—34. — fabulae ipsius mentionem facit III 18. V 462 (cf. Anonym. I p. 98, 5 M., Servius ad Aen. I 568).

4) Hanc Bergkii et Hilleri sententiam probant Hygini codices Reginensis et Montepessulanus, quos verba (II 43 p. 80, 13) 'Eratosthenes enim dicit in Mercurio' praestare Bursian asseverat, cf. Robert p. 6. 30.

5) Achilles p. 55, 10 M., haec codicum lectio in '*Καταστερισμῶι*' mutari non debuit, ut Eratostheni spurium opus supponeretur. Non licet, ut illa coniectura firmetur, verba Arati scholiastae (v. 134) afferre, nisi haec ad Eratosthenem pertinere gravissimis argumentis antea demonstraverit. Itaque Rehm sententiam nuper prolatam nuperrime iure rescidit (Berl. phil. Woch. 1899 p. 1382 sq.). Ne redarguamus igitur Achillem erroris, praesertim cum Dittmann hunc titulum probabiliter explicatus sit ('de Hygino Arati interprete' p. 53).

6) p. 55, 9—14. Philopon. l. c. p. 115, 22. — Herculem Iunoni

laedi ab Hercule. Quo non intellecto[1]) alii[2]) deos et fabulas permutaverunt, alii[3]) duas in unam contraxerunt. Aliter Manilius. His confusionibus sive contemptis sive ignoratis ad integram de Mercurio narrationem redit. Ad illum enim potius quam ad Herculem eius verba 'e niveo lactis fluxisse liquorem | Pectore' refero, quippe quae lac a Iunone effusum non ut iaculum emissum significent. Eratosthenica[4]) igitur apud Manilium investigavimus. Unde ea prompserit, quaestio de priore fabula docebit:

I 735 Fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis:
Phaethontem patrio curru per signa volantem,
Dum nova miratur propius spectacula mundi
Et puer in caelo ludit, curruque superbus
Luxuriat, mundo cupit et maiora parente,
740 Monstratas liquisse vias, orbemque rigentem
Imposuisse polo; nec signa insueta tulisse
Errantes nutu flammas currumque solutum,
Deflexum solito cursu, curvasque quadrigas.
Quo querimur flammas totum saevisse per orbem,
745 Terrarumque rogum cunctas arsisse per urbes,
Cum vaga dispersi fluitarunt lumina currus
Et caelum exustum est? Luit ipse incendia mundus
Et vicina novis flagrarunt sidera flammis,
749 Nunc quoque praeteriti faciem referentia casus.

---

adn. crit.: 738 curruque $GV^{1.2}$ cursuque LCM 739 parentem LCV^2 740 rigentem (cf. III 358) G regentem cet. 743 curvisque quadrigis codd. 744 quo $GV^{1.2}$ quid M quod L 745 cunctos V^2 orbes CMV^2 748 nova vicinis codd. corr. Bentl. (cf. IV 836) 749 referencia M reserentia L reserantia cett.

---

mammam sugentem repraesentant aliquot specula et lecythus, quorum artificibus alia fabulae forma nota fuit (cf. Koerte, etrusk. Spiegel V p. 76 sq. qui complures testes affert).

1) velut aliquis Geoponicorum insignia fabulae sustulit (XI 19).

2) Achilles p. 55, 14—16 ('τὸ δὲ αὐτὸ ἐπὶ τοῦ Ἑρμοῦ λέγει γεγενῆσθαι Ἐρατοσθένης'); Anonym. I p. 95, 23 sqq.; Hyg. II 43 p. 80, 15—17. B. P. p. 104. Hyg. II 43 p. 80, 17—19 suo Marte novavisse videtur.

3) Cat. p. 277.

4) Nonni auctor narrationem Eratosthenicam non invita Minerva mutavit, cum Iovem, quod Iuno Baccho furenti mammam praebuisset, lacteum orbem in caelo posuisse dicat (Dionys. XXXV 305 sqq.):

'ὑμετέρῃ γάρ
'στηρίξω κατ' Ὄλυμπον ἐοικότα κύκλον ἐέρσῃ,
''Ηραίοιο γάλακτος ἐπώνυμον, ὄφρα γεραίρω
'ἰκμάδα πασιμέλουσαν ἀλεξικάκου σέο μαζοῦ'.

Hi versus complectuntur sententiam de lacteo circulo Pythagoream[1]) eo modo formatam[2]), quo poeta quidam Alexandrinus flexit[3]), ut catasterismos quam plurimos cum Phaethontis ruina coniungeret. Quam placitorum collectionem Manilianam cum Dielesius[4]) Posidoni esse demonstraret, quaeritur syllogae compositor an Manilius ductus illo carmine Pythagoreorum explicationem mutaverit. Prius eo veri simile fit, quod hic poeta, etsi fabulam Phaethonteam multis versibus enarrat, tamen nullum praeter lacteum orbem catasterismorum attingit, qui ab Alexandrino tractati sunt.[5]) Ut idem de fabula Eratosthenica statuamus, cogimur forma eius contracta. Itaque concludimus Manilium, quem illa carmina[6]) inspexisse nequaquam infitior, fabulas ita, ut in placitorum collectione invenerat, carmini immiscuisse.

Summam faciamus fabulas omnes perscrutati: Manilium omissis lactei orbis explicationibus neque novas narrationes sidereas proferre et cum compendiis iis, quae nos tenemus, arto vinculo cohaerere evincitur.

B. De fontibus fabularum.

Unde fabulas Manilius prompserit, hac in altera parte exploremus. Ab ea necessitudine, quam inter eum et quosdam mythographos reperimus, quaestionem incipimus.

Apud Hyginum etsi omnes[7]) fabulae Manilianae recurrunt vel rara Geminorum interpretatio atque etiam rarior de Piscibus narratio, tamen ex errore[8]) uno eorum communi syllogam illius huic notam fuisse colligi esset pravum, quod haec conclusio aliunde[9])

---

1) cf. Aristot. meteor. I 8 p. 345 a 14. Aetius III 1, 2 p. 364ᵃ 26ᵇ 19 (cf. Alexandr. ad Aristot. l. c.). Philopon. et Olympiod. (ad loc. Aristot.) parum accurate referunt.

2) Pariter atque Manilius narrant Diodorus V 23; Claudianus de Honor. sext. cons. 28, 168 sqq. (p. 241 Birt.).

3) Wilamowitzio praegresso hoc intellexit Knaack (quaest. Phaeth. p. 38 sqq. 50. 52 sq. Hermae XXII 639 sq.). cf. Philopon. l. c. p. 101, 26—29.

4) mus. rhen. XXXIV (1879) p. 490.

5) hi sunt: Aurigae, Cycni, Hyadum, Eridani.

6) Illud de Phaethonte carmen Manilio notum fuisse e duplici fabulae commemoratione conicias (I 735 sqq. IV 831 sqq.); de Mercurio Eratosthenico per se veri simile est.

7) Mentionem non facit (II 33) Leporis velocitatis, quam catasterismi causam poetam habuisse non est certum cf. p. 3.

8) De Aquilae situ cf. p. 10.

9) nam Manili verba I 301 'Poenis haec (Cynosura) certior auctor' cum his Hygini II 2 p. 33, 7 'si haec (Cynosura) sit certior' forte con-

non probaretur. Itaque rectius dicamus utriusque errorem indidem fluxisse.

Catasterismorum consensio quomodo explicanda sit, in medio relinquo. Nam, cum ibi multae huius poetae fabulae partim[1]) desint partim[2]) aliter narrentur, Manilius aut alium praeter illos fontem hausisse potest aut eundem atque illi.

Scholia quoque Aratea et poetam aliquo modo cohaerere fabulis quidem satis planum fieri nequivit, quamquam maximam[3]) earum partem complectuntur, sed argumentum, quo id demonstretur, praesto est. Bellerophontem enim, quippe cui neque currus neque equi quadriiugi fuissent, sub Aurigae sidere genitum falso inducere Manilium (V 97) putaremus, nisi verba Arati scholiastae (v. 161 p. 368, 12) docerent aliquot mythologos hoc sidus ad illum heroem rettulisse. Manilius igitur hunc catasterismum, quem scholiasta solus commemorat, apud illum ipsum invenit aut apud communem auctorem.

Haec sunt, quae e fabulis de eius fontibus exquiri possunt. Quantum ea probent et adiuvent Manili ipsius verba, iam spectemus.

Nihil faciunt huc ea, quibus enumerationem siderum australium finit I 446 'Quae notia antiqui dixerunt sidera vates', quippe quae ad Aratum[4]) aut poetas[5]), qui post illum fuerunt, alludant.

Gravius libri secundi exordium esse videtur. Ibi enim Manilius ipse cum aliis poetis tum eis, qui sidera aliquo modo describunt et eorum figuras fabulis explicant, se opponit his versibus:

II 25 Astrorum quidam varias dixere figuras,
Signaque diffuso passim labentia caelo
In proprium cuiusque genus causasque tulere:
Persi et Andromedae poenas matremque dolentem
Solventemque patrem, raptamque Lycaone natam
30 Officioque Iovis Cynosuram, lacte Capellam

---

sonant cf. Germ. v. 45; Avien. 136; Ar. v. 42; Ar. schol. p. 349, 4. — De sententia astronomica eis communi infra dicam p. 35.

1) Erigones, Piscium, (Geminorum).

2) Arae, Coronae, Oloris, Tauri. — Cosmae collectione haec differentia non minuitur cf. p. 47 sq.

3) Omittunt fabulas, quae sunt de Ursa minore, Aquila Piscibusque, et Geminorum interpretationem. Nam Erigones fabula in scholiis aliquando exstitit. At Erichthoni nomen an e multis casu exciderit (v. 161 p. 368) nescio.

4) 319 sqq. de Homero ea conferas, quae Arati scholiasta dicit ad v. 322 p. 404.

5) Sphaerae v. 47 sq. Eudoxus quoque et Posidonius sidera septentrionalia ab australibus distinguunt cf. Hipp. I 2, 17 et Gemin. III 8—13.

Et furto Cycnum, pietate ad sidera ductam
Erigonen, ictuque Nepam, spolioque Leonem
Et morsu Cancrum, Pisces Cythereide versa,
Lanigerum victo ducentem sidera ponto
35 Ceteraque ex variis pendentia casibus astra
Aethera per summum voluerunt fixa revolvi.
Quorum carminibus nihil est nisi fabula caelum
Terrave composuit caelum, quae pendet ab illo:

Quamquam horum tempora scriptoribus[1]) antea posteaque commemoratis terminantur et nomina multorum poetarum astronomicorum atque etiam fragmenta tradita[2]) sunt, tamen hos versus ad certos referre nequimus, cum ex illis alii[3]) paucas tantum fabulas alii[4]) non eas tractent, quae hic significantur. Itaque versus ne premamus sed iudicemus Manilium omnes poetas Alexandrinos, qui quidem fabulas siderum figurasque celebraverant, neclectis singulorum iuribus in unam familiam congregasse. Hanc sententiam probant verba 'quidam dixere' (v. 25) et 'quorum carminibus' (v. 37) atque ordo[5]) narrationum inusitatus sed accommodatus ad memoriam. Testatur igitur poeta utroque loco, quod dudum scivimus, se Alexandrinorum quorundam carmina astronomica legisse.

Tertio loco Manilius defectibus solis lunaeque explicatis dicit IV 848 'ecliptica signa dixere antiqui'. Haec verba per se simplicia maximi momenti sunt, quod iisdem eadem disputatio Arati

1) Manilius loquitur de Homero v. 1 sqq.; de Hesiodo v. 11 sqq. — 24; de Theocrito v. 39—42. Quibus poetis Alexandrinis versus sequentes (43—45) adscribendi sint G. Knaack (Anal. Alexandrino-Rom. p. 12) rectius docuit quam Schulze (mus. rhen. 53, 541 sqq.).

2) Eorum, qui Phaenomena scripserunt, in censum veniunt hi poetae: Callimachus, Anacreon, Alexander, Hegesianax, Hermippus (cf. Maass Arat. p. 121 sqq.). Ad hos sunt afferendi: Epimenides, Eratosthenes, Ps.-Hesiodus.

3) Callimachus tractavit Comam Berenices, Epimenides fabulas creticas, Eratosthenes Icarienses (in Erigona) et Mercuriales, quae sunt de Lyrâ et lacteo orbe. Ad Ps.-Hesiodum certo reducimus solas narrationes de Callisto, Orione Pliadibusque. Sub Anacreontis nomine Hyginus refert fabulam de Geniculo (II 6 p. 42), sub Alexandri de Hyadibus (II 21 p. 63), quibus sideribus hic poeta narrationes non adscripsit.

4) Nulla fabula aut Hermippi aut Hegesianactis apud Manilium legitur, ne earum quidem ulla, quas ad illos Robert probabiliter revocavit (p. 222 sq.).

5) Praecedit Andromedae familia, secuntur Iovis amores nutricesque, enumerationem finit zodiacus, in quo ipso fabulae secundum deos compositae sunt (Bacchus [Erigone], Diana [Nepa], Hercules [Leo, Cancer], Venus [Pisces], Phrixus deae filius [Aries]).

scholiastae finitur (v. 862 p. 499, 8) '(*τὸ τηνικαῦτα ἡλίωι ἐπισκότωσιν γίνεσθαι, ἣν δι' ἀγνωσίαν*) *ἔκλειψιν οἱ παλαιοὶ*[1]) *κεκλήκασιν*'.[2]) Apparet necessitudinem poetae et scholiastae pertinere non modo ad mythologicas res sed etiam ad astronomicas.[3])

Tamen non est nobis concludendum Manilium scholia ipsa adiisse, etiamsi illa multo uberiora[4]) integrioraque aliquando fuisse ex apertis lacunis[5]), e narrationibus[6]) ita contractis, ut nomina sola supersint, e paucis stellarum catalogis[7]) servatis, e manifestis interpolationibus[8]) elucet. Nam veri similius est utrumque usum

---

1) *οἱ ἀρχαῖοι* Isag. bis exc. p. 318, 12.

2) cf. Anonym. II p. 130, 23. 25. Isagog. bis exc. p. 318, 12.

3) Manili verba I 388 'In magnam caeli tendentem (scil. Orionem) bracchia partem' cum scholiasta p. 406, 11. '*ἐν οὐρανῶι σφόδρα ἐκτεταμένος ἐστὶν ὁ Ὠρίων*' bene consonant, (e commentario fluxerunt verba Manili I 390 sqq. Cataster. p. 249, 24, Arati scholiastae ad v. 324, Hygini III 33). At versus Maniliani, qui ortum occasumque Canis (I 396 sqq.), et caeli axem (I 287 sqq.) longitudinemque circuli signiferi (I 544 sq.) attingunt, ad scholia an ad Aratum ipsum (v. 326 sqq. 21 sqq. 541 sqq.) respiciant dubium est. — Caput, quod de signis membrorum humanorum tutelaribus est (II 456 sqq. IV 704 sqq.), ad communem fontem astrologicum rectius refertur quam ad scholia Aratea (v. 545 p. 446), cf. Sext. Empir. p. 731, 28; Firmic. Matern. II 24 p. 73; Ps.-Hipparch. (apud Maass A. E.) p. 141; scriptores christianos, quos Piper enumerat (Mythol. u. Symbolik d. christl. Kunst I 2 p. 281 sq. 289).

4) Uberiora scholia interpolator codicis T adhibuit (cf. Rehm pr. p. II) et scriptor papyri Berolinensis (cf. Maass prol. p. LXX). scholia nobis ignota citantur in epistula ad Iulianum scripta p. 555, 2; scholion p. 356, 19 quondam uberius fuit.

5) p. 405, 26. 425, 2. 433, 15. 454, 10.

6) velut Arcturi interpretationes v. 91 p. 356, 1; Aurigae v. 161 p. 368; Draconis v. 45 p. 349; Geniculi v. 75 p. 353. v. 269 p. 394 (cf. Hyg. II 6). Has fabulas insignibus tantum verbis significatas accurate fuseque narratas ibi inventas esse quaestio de coma Berenices nostra (p. 47 sq.) demonstrabit.

7) Illustrium siderum solorum indices stellarum servati sunt velut Ursae maioris v. 27; Orionis v. 324; v. 586; aut eorum siderum, quibus explicatione opus est, ut Aurigae v. 156; Arietis v. 228; Virginis v. 144. — Indices stellarum Maniliani sunt inanes, cum magnas clarasque tantum siderum nimis notorum commemoret (de Delphino V 714 = Ar. 317. Ar. schol. p. 402, 18; de Deltoto I 352. V 715 = Ar. 234 sq. Ar. schol. p. 381, 2. Cat. p. 224; de Orione I 391 sq. = Ar. schol. p. 406, 16 sqq. [cf. adn. 1]; de Ursa maiore I 620 = Ar. schol. p. 344, 26).

8) Velut e Cat. sunt interpolatae hae fabulae: de Ara (p. 418, 27 — 419, 8 = T. p. 14. Cat. p. 263); de Deltoto (p. 380, 24 — 381, 2 = Cat. p. 223b); de Lyra (p. 394, 1 sqq. = T. p. 7 sq. Cat. p. 230b), quae iam antea in scholiis exstiterunt.

esse eodem fabularum libro et eodem commentario astronomico, cum consensus, quos inter Manilium et Catasterismos Hyginumque investigavimus, orti esse videantur e compendio mythologico non e scholiis Arateis, et disputatio, quae est de signis eclipticis, recurrat in isagogis (cf. p. 24 adn. 1).

Summa igitur huius disputationis videtur esse: Manilium fabulas sidereas prompsisse e mythologico commentario Arateo.[1])

---

1) Germanicus an eodem commentario usus sit haud scio, cf. v. 91 ~ Ar. schol. v. 581, v. 157 ~ 161 (Cat. p. 207. 210); v. 275/76 ~ 278; v. 25 + 226 ~ v. 30 + v. 27 (cf. Maybaum [de Cic. et Germ. Arati inter. Rost. 1889] p. 43; Thiele p. 47; Maass prol. p. LXIX[1]).

II. De Manili doctrina astronomica.

Tabella Siglorum.

Atl.	globus Atlantis Farnesiani Thiele p. 19 sqq. tab, II—VI.
Bas.	cod. Basileensis German. A N IV 18. Thiele p. 143 sqq.*)
Bas. tab.	eiusdem codicis tabula caelestis a Maassio (in Arati editione) publici iuris facta. Thiele p. 167 sqq.*)
Boll	Fr. Boll, Beiträge z. Überlieferungsgesch. d. gr. Astrologie u. Astronomie. München 1899. (Sitzgsber. d. bayr. Akad.)
Bon.	planetarium Bononiense (Bibl. publ. Boulog. s. m. 188 fol. 30 r) = Planetar. Voss. Thiele p. 82 sq. p. 138.†)
Harl.	plana sphaera cod. Harleiani 647 Ciceronis. Thiele p. 152 sq. p. 163.†)
Mat.	cod. Matritensis German. A 16 cf. Bethe, mus. rhen. 1893 p. 91 sqq. Thiele p. 143 sqq.
Mon.	plana sphaera cod. lat. Monacensis 210. Thiele p. 158. 163.†)
Mus.	musivum Francofurtense, quod Solem zodiaco circumdatum repraesentat. **)
Phil.	plana sphaera cod. Berolin. Phil. 1830. Thiele p. 164.
Sang.	plana sphaera cod. Sangermanensis 12957 (G = Maass, Ar. Com. p. 101) fol. 63 v. *)
Vat.	hemisphaerium cod. Vaticani graec. 1291 Ptolemaei; cf. Boll l. l. p. 119.
Vat. tab.	eiusdem codicis tabula Solis et zodiaci; cf. Boll l. l. p. 126 sqq.
Voss.	cod. Vossianus German. 79. Thiele p. 77 sqq.
Voss plan.	eiusdem codic. planetarium. Thiele p. 138 sqq. tab. VII.

Quantum imagines caelestes apud Manilium valuerint, cum primo exquiramus cognituri eius scientiam astronomiae, omnes si-

---

*) hos codices Maassi humanitate inspexi.

†) horum codicum imagines arte photographica pictas Thiele liberalissime in usum mihi tradidit.

**) illud musivum Monasterii a. 1895 effossum vidi (cf. de eo archaeolog. Anzeig. 1897 p. 12).

derum descriptiones, quae fontibus litterariis deberi non videntur, componam cum sphaeris quibusdam[1]) et codicum picturis.

Anguitenens: eius et anguis facies I 331 sqq.	Phil. Harl. Bas. tab.	(Ar. 82; Cic. fr. XV; Germ. 80; Avien. 235; Hyg. III 13)
Aquarius: nudus II 511. IV 797. iuvenis cf. p. 44	Atl. Phil. Mon. Mus.	
Aquila: supina I 688	Atl. Phil. Harl. Mon. Bas. tab.	
Arcitenens[2]): dirigit contentu arcu in Scorpionis caudam I 269 sq.	Atl. Phil. Harl. Mon. Bas. tab. Vat. tab. Voss Plan.	(Ar. 305)
Arcitenens: currens II 246	Phil. Harl. Mon. Bas. tab. Vat. tab. Voss tab. Bas. Voss. calend. attic.[3])	
Arcitenens: veste indutus IV 560	Voss. tab. Voss. Bas. Mat. calend. attic.	Hipp. II 5, 16 al.
Arcitenens: ei lumen superest et unum quaeritur II 260	Atl. Phil. calend. attic. (τὸ ἄστρον ἐστὶ κατάγραφον)	
Argo: navigat in astris V 13. 36	Atl. Phil. Harl. Voss. Mat. cf. Thiele p. 38	(Ar. 351)
Aries: respicit Taurum surgere I 264	Atl. Phil. Vat. tab. Harl. Mon. Mus. cod. Dresd. (fig. 7 Thiele)	Avien. 546 sq. B. P. p. 80, 8. 81, 4
Cancer: lumina desunt Cancri II 259	Atl. Phil. Harl. Mon. Voss Plan. calend. attic.	Ar. schol. v. 893
(Canis: Leporem comprehendere quaerit. V 233	Atl. Phil. Bas. tab.	Ar. 340. Ar. schol. p. 409, 10. Av. 749. 821. Hyg. p. 95, 21. B. P. p. 95, 19)
Canis: micans in radios I 407	Atl. Phil. Bas. Voss. Mat. Vat.	

1) Me contineo in afferendis notissimis, cum huic quaestioni sufficiant et aliorum imagines sive inepte sive omnino nondum factae sint publici iuris. — Non multum refert, figurae in sphaeris exstent an in manuscriptis. Nam omnes de globis quondam promptae sunt (cf. Thiele p. 169; Bethe, mus. rhen. LV 416 sq.).

2) Arcitenentem Centaurum Manilius esse dicit I 270. II 171 sq. 188. 444. 498. 533 al.

3) cf. Thiele p. 57 sqq.

Cetus: vasti hiatus Ceti I 356. 435. V 15	Atl. Phil. Harl. Bas. tab. Voss. Bas. Mat.	
Cetus: convolvens squamea terga | orbibus insurgit tortis... I 433 sq. 614. V 15	Atl. Harl. Bas. tab. Bas. Voss. Mat.	(Germ. 390. 721)
Ecus: Delphinum comprehendere festinat I 348	Atl.	Sphaera v. 39. Hyg. III 17 p. 88, 23
Gemini: nudi II 163. 184[1])	Phil. cod. Dresd. (fig. 7 Thiele)	Harl. Vat. tab. Bas. tab. Mon. Voss
Gemini: coniuncta bracchia alterno nexu II 164. 458	Bas. Mat.	Plan. Atl. Mus. cal. attic.; cal. rust.[2]); Sang. al. — Hyg. III 21. Mythogr. Vat. III 8, 12
Heniochus[3]): facies eius V 68 sq.	Atl.	
Leo: currens II 346	Atl. Phil. Harl. Bas. tab. Vat. tab. Mon. Voss. Bas. Mat. Vat. Cal. rust.	
Libra: 'iuga Chelarum' (i. e. simplex Librae figura) I 611 cf. IV 548[4])	Mon. sphaera Dresdensis[5]); alia monumenta Thiele p. 71 affert.	Manetho II 136. Myth. Vat. III 8, 13 (Ar. schol. p. 355, 15)

1) Recte quidem Bouché p. 135 n.[1] interpretatur versum II 184 'Nudus uterque tamen, sentit quia uterque calorem' 'Ephèbes nus à cause de la proximité du Cancre', sed illud argumentum futtile est, cum Aquarius quoque, quamquam iuxta frigidum Capricornum stat, vestibus careat (II 511. IV 797).

2) Real museo Borbon. II 44.

3) versus V 68 sq. '. . . primum iuga tollit ab undis | Heniochus, clivoque rotas convellit ab imo' Scaliger recte ita explicavit ([2] p. 390): 'Quia oriens ascendit, non solum dixit eum ascendere, sed quia auriga 'convellere rotas ex clivo. Nam aurigae plostra aut carros per clivum 'inigentes solent posteriores rotas nixu adiuvare. Quod Manilius dixit 'ab imo clivo rotas vellere, tanquam haereant rotae ni adiuventur'. Eximie congruunt verba (V 20) 'Heniochus memor currus' et figura globi Farnesiani. Ibi enim auriga flagello (equos) stimulans et pedibus in terram nixus genibus curvatis conspicitur, quasi laeva manu rotas ab imo clivo vellat. Similes sunt Nonni versus Dionys. XXXVIII 428 sqq.

4) Poeta etsi 'Chelis' pro 'Libra' saepe utitur (III 305. IV 203. 547 al.), tamen illud signum a Scorpione distinguit (cf. II 544. IV 473—477).

5) cf. Beigel in Bodes astron. Jahresber. f. 1808. Berlin 1805 p. 97.

Libra: 'L. sub emerito considens orbe laborum' II 251[1])	i. e. iugum in lancibus positum est, ita conspicitur in sphaera Arolsiana p. 47 Thiele	
Libra: 'humana est facies Librae' (i. e. Libripens) II 529[2])	Phil. Harl. Sang. (fol. 72[r]). Vat. tab. cal. rust. in disco (Thiele fig. 3)[3])	Lydus de ostent. p. 19, 9 W.[2] Firmic. Matern. VIII 3
Lyra: inversa I 627 (324). V 325	Atl. Harl. Bas. tab.	Cat. p. 232 b, 20. Hyg. III 6
Olor: obliquus I 687	Atl.	Ar. 599. Avien. 643. Hyg. III 7 p. 84, 6.
Orion: 'vicinus Geminis' I 387	Atl. Phil. Bas. tab. Harl.	cf. p. 42 sq.
Taurus: aversus surgit I 264 al.	Atl. Harl. Mon. Bas. tab. Vat. (Phil. Vat. tab. Voss. Mat.). Mus.	Hyg. III 20. Servius ad Ge. I 217
Taurus: Geminos vocat summisso vultu et fronte I 265. IV 142 (V 140)	Planisphaer. aegypt. apud Claracium pl. 248	Hyg. III 20 p. 89, 24 (Ar. 167. Sphaera v. 97. Cic. 330. Avien. 423 sqq.)
Ursae: earum et Draconis situs I 305 sqq.	Phil. Harl. Mon. Mat. Bas. Voss.	(Ar. 45; Germ. 48. Av. 138. Macrob. in Cic. I 18, 5)
Cepheus: (sub Cepheo homines) 'tragico praestabunt verba cothurno' V 459	Manilius[4]) alludit ad vestem histrionis tragici, qua indutum Cepheum globus Farnesianus repraesentat (Thiele p. 28); cf. V 470	

1) Nihil obstat, ne hunc versum et verba 'iuga Chelarum' ad eandem Librae faciem referamus.

2) Ne quis putet ductus versibus IV 205 sqq. libripendem Palamedem esse neve, ut illam sententiam probet, Ampeli historiolam (II 7) afferat. Nam aliter explicanda sunt verba utriusque. Fabulam Ampeli, quocum Hermeneumata Montepessulana consentiunt (C. Gl. L. III p. 292, 12), restituit Maass (Zeitschrift f. christl. Kunst 1899 No. 11).

3) Alios testes affert Thiele p. 71, quibus addas Chronographum anni 354 (cf. Strzygowski, arch. Jahrb. I suppl. [1888] tab. XXXIII). — Non imaginibus sed commentariis illustrantur versus I 268 et II 258, qui Scorpionem duobus signis se expandentem attingunt; cf. Ar. schol. p. 355, 14. Cat. p. 195 b, 17. Hyg. II 26. III 25.

4) Versus de Andromedae sidere Manilianus I 357 'Expositam (An-

Qua ratione descriptiones siderum Manilianae ab imaginibus pictis pendeant, haec compositio docet. Sed praeter figuras notas poeta ad eas quoque, quae non servatae sunt, respicere videtur, cum, ut manifesta eius errata[1]) taceam, Taurum et Capricornum ea formet imagine quam ignoramus. Utrumque enim eis signis annumerat 'quae fessa sedent pigras referentia mentes' (II 249) illum describens 'Taurus depositis collo sopitus aratris' (II 250), hunc 'angusto sidere flexus' (I 271)[2]) et 'Capricorne, gelu contractus in astris' (H 252). Similiter non itidem figurati conspiciuntur in Menologio rustico Vallensi[3]) solo, aliter[4]) in sphaeris et codicum picturis. Tamen ea re non fiunt caduca quae de uno astronomiae fonte exploravimus, quoniam variae multorum siderum facies exstiterunt.

Has imagines Manilius invenerit in globo an in plana sphaera, quaeritur. E formis ipsis, quippe quae de hoc in illam proicerentur, cum certo colligi nequeat, nihil tribuo descriptioni Orionis, quem vultu averso apparentem poeta facit[5]), quomodo figurae in globis formatae sunt.[6]) At circuli caelestes, ut id diiudicemus, iuvant. Nam etiamsi ita coluri ut lacteus orbis et in quasdam sphaeras planas relati sunt[7]) et in commentariis astronomicis signi-

---

dromedam) ponto deflet (Cassiope) scopulisque revinctam' ad saxa in quibusdam picturis obvia (Thiele p. 106) non respicit sed ortus est e memoria fabulae (V 551 sqq. Ovid. met. IV 671) et Arati (v. 202 sqq.).

1) fabulis ductus Manilius coniungit vera condicione discrepante Aquilae sidus cum Aquario (cf. p. 7) et Ceti cum Andromeda (V 657 sq. I 356 sqq. 433 sqq.; cf. Ar. 354. 629 sqq. Ar. schol. v. 353. 355. [Germ. 358. 640. Avien. 770. Nonnus Dionys. XXV 128 sq.]). Item falso fingit natura signorum commotus Pisces Aquarii undas subeuntes (I 273. II 225 [447]. 492. 542. 567. IV 385). Alter sane ad Aquarium obvertitur (cf. Atl. et Avien. 549 sq.), sed longe ab eo distat et separatur ab altero Andromeda Pegasoque (II 165). At omnes sunt signa aequorea (Pisces II 194; cf. Ovid. met. X 78. 165; Aquarius II 558 [IV 345]. V 450).

2) cf. II 445.

3) cf. Real Museo borbonico II 44.

4) Vulgaris Tauri imago Manili ante oculos obversata est vers. IV 142 sqq.

5) I 393 '(Orionis caput) Per tria subducto signatur lumina vultu'.

6) Thiele p. 36. — Pictura Orionis, quae in codice Vossiano est, eximie congruit cum Manili versibus I 387 sqq.; cf. quae de illa disseruit Thiele p. 120. Similis est figura in cod. Bas. fol. 34r.

7) Coluri sunt in globo Farnesiano et in tabula Basileensi, lacteus orbis in planis sphaeris codicum Monacensis Harleiani Philippicique et in fragmento globi Berolinensis (Thiele p. 42). Praeter haec ille circulus, quem plerumque quaeri Geminus V 69 dicit, caelatus fuit alba caera in sphaera anonymi commentatoris Aratei (cf. Ar. Com. p. 95, 30).

ficantur[1]) certis sideribus, tamen verba, quibus illorum situs poeta definit, eum globo versatili usum[2]) esse demonstrant. En:

I 609 Alter AB excelso. DECURRENS limes (Colurus) Olympo . . .
613 . adverso CONCURRIT rursus in axe,
Et REDIT in caelum . . . .
617 PRINCIPIUMQUE SUUM REPETITO CARDINE CLAUDIT.
618 Alter (Colurus) in hunc medium summumque INCUMBIT in axem . . .
624 INDE axem OCCULTUM (stringit)
630 HIC ITERUM COIT IPSE SIBI MEMOR UNDE PROFECTUS.
684 Alter (lacteus orbis) in adverso positas SUCCEDIT ad Arctos
687 INDE . . DESCENDENS tangit Olorem
693 . . . rursus ASCENDERE caelum
Incipit . . .
696 . . SUBIT te (Cassiepam) UNDE PROFECTUS . . .
698 ORBEM EX ILLA COEPTUM CONCLUDIT IN IPSA.

Qui[3]) praeter illos circuli et quales siderum figurae repraesentata fuerint in ea sphaera, quam Manilius in usum vocavit, certo statui non potest. Libra et Taurus[4]) docent eum complures unius astri formas cognovisse neque eandem semper tenere. Itaque contenti sumus imaginum consensionem et usum globi demonstravisse.

Iam contemplemur astrorum enumerationem. Manilius post zodiacum, quem ab Ariete incipit[5]), collocat[6]) sidera et dividit[7])

1) Sidera colurorum Martianus Capella VIII 832 sq. enumerat, nonnulla Hipparchus I 11, 17 sqq.; lacteum orbem describit Hyginus IV 7.

2) Ita ante me senserunt aliis de causis Passeri de Atlante Farnesiano c. XIII p. 47 et Thiele p. 46 sq. et Boll, Berl. phil. Woch. 1899 p. 1014.

3) Poeta commemorat: circulum arcticum I 566; tropicum australem I 568; aequinoctialem I 575; tropicum borealem I 582; antarcticum I 589; coluros I 603 sqq.; meridianum I 633; horizontem I 648; signiferum I 668; lacteum I 684. Zodiacum et tropicos in illo globo exstitisse nescio an colligi possit ex his verbis 'Hunc (signiferum) tenet A SUMMO Cancer, Capricornus AB IMO' (I 672) et 'Alter (tropicus australis) ad extremi DECURRENS sidera Cancri' (I 568).

4) cf. pp. 28/30.

5) I 263. II 219. 456. 485. III 278. — F. Wieck (Berl. phil. Woch. 1900 p. 1309) miratur, quod in fragmento Sangallensi mythologico Aquarius primo signorum loco est. Neque vero percepit scriptorem illius signa secundum menses disposuisse et a Ianuario, qui in Aquari tutela est, initium fecisse (cf. Mommsen, röm. Chron.[2] p. 305 sq.). Idem ordo recurrit in monumento Mithraeo, quod tractavit Cumont (Mystères de Mithras II p. 395 fig. 315).

6) I 255 sqq. cf. Gemin. c. I.

7) I 275 sqq. 372 sqq. 446. V 19 sqq. 12 sqq. cf. Gemin. c. III 8. 13.

respecto illo in borealia et australia. Itidem disponit Geminus[1]), qui etiam in ordine ipso, si non toto at per maximam partem congruit. Ecce:

Borealia

MANILIUS I 275 sqq.				GEMINUS III 8.		
Ursae	Arat.			Ursae	Hyg.	Hipp.
Draco				Draco		
†Geniculus				—		
Bootes				Bootes		
Corona				Corona		
—				†Geniculus		
Lyra				Ophiuchus		
Ophiuchus				Lyra	Hyg.	
Cycnus	Hipp.	Hyg. II 1		Cycnus		
Sagitta				Sagitta	Hyg.	
Aquila				Aquila		
Delphinus				Delphinus		
Ecus				Ecus[2])		
*Deltoton				—		
Cepheus	Arat. Hipp.		Hyg. III 8—12	Cepheus	Hyg.	Hipp.
Cassiope				Cassiope		
Andromeda				Andromeda		
Perseus		Hipp.		Perseus		Hipp.
Auriga (cum Haedis et Capella)				Auriga		
Pliades, Hyades				*Deltoton	Hyg.	

— Eudoxus quoque (cf. Hipp. I 2, 17), Aratus (319/21), Hipparchus (II 4, 4 in catalogo [cf. Rehm, Hermae 34 p. 252. 256]), auctor Sphaerae (47 sq.), Hyginus (II 1), Martianus Capella (VIII p. 310, 6) sidera signifero separaverunt, sed illum alii (Eudoxus, Aratus, Sphaera) non segregant, alii (Hipparchus, Martian.) post omnia astra collocant, alii (Hyginus) inter borealia et australia. Altera praeter hanc partitio in catalogo excerptoris Hipparcheo invenitur, in quo positiones signorum et quorundam siderum (Ophiuchum dico, Ecum, Hydram, Orionem, Antecanem) ad circulum aequinoctialem definiuntur. Cum eadem in Eratosthenis quoque catalogo (cf. Rehm, Herm. 34 p. 258) et aliquot scholiorum Arateorum locis (p. 381, 2. 382, 7. 384, 16. 404, 22) exstet, Hipparchus videtur sidera zodiaco divisisse eorumque situs aequinoctiali orbe significasse, excerptor autem in errore versari.

1) III 8. 13.

2) Maass (Com. p. XXVII 3) rectius Manitio interpungit.

Australia

MANILIUS I 387 sqq.		GEMINUS III 13
Orion		Orion
Canicula[1])	Hyg.	Antecanis[2])
Antecanis		Canis
Lepus		Lepus
Argo		Argo
Hydra		Hydra
Corvus[3])	Ovid.	Crater
Crater		Corvus
Centaurus		Centaurus
Ara		Ara
Cetus		Piscis australis
Piscis australis	Arat.	Cetus
Aqua Aquari[4])		Aqua Aquari
		Flumen.[5])

Necessitudo patet. Nam si parvas differentias neglegimus, quae partim[6]) e levibus siderum vicinorum permutationibus partim[7]) ex Arati imitatione ortae sunt, diversis locis inserunt Deltoton solum.[8]) Sed cum illud in Hipparchi catalogo, quem Geminus sequitur[9]),

1) De nomine Caniculae, quae eadem est atque Canis, recte disputant Scaliger[2] p. 405 et Dittmann (de Hygino Arati interprete) p. 13 adn. 12.

2) Antecanem Cani praecessisse in codicibus eo evincitur, quod aliter '*κύων*' excidere non potuit (cf. versionem latinam et haec Martiani Capellae 'Procyon; Orion; Canicula' p. XXIX 5 Maass prol.).

3) Plurimi collocant Corvum post Crateram, cum Manilio consentiunt Ovidius (fast. II 266) et Anonymus tertius (Comm. p. 311, 23).

4) Versus I 438/42 a multis male intellectos, in quibus Fusio Aquae commemoratur, Scaliger[2] p. 62 explanavit.

5) Primo libro Manilius Flumen omisit, quinto obiter stringit hoc versu 'Fluminaque errantis late sinuantia flexus' (V 14).

6) Lyra-Ophiuchus; Canis-Antecanis; Corvus-Crater; Cetus-Piscis australis.

7) Draco-Geniculus. Ab ordine Arateo tribus astris enumeratis Manilius discedit.

8) nam Hyades et Pliades, quas Geminus anticipat (III 3), hoc loco (I 371) Manilius ipse annexuit, ne quid grave sidus omittat. Ignobilia sidera aquilonia Asellos dico et Praesepium hic quidem praetermittuntur, sed huius mentio fit obscuris sane verbis IV 530 sqq. et illi commemorantur V 174 sq. Eorum nomine 'Iugulae' multi iniuria offensi sunt, cum idem legatur in codice Columellae optimo Sangermanensi XI 2, 76 (cf. editionem Laurenti Lydi Wachsmuthianam secundam p. 311, 21).

9) cf. Maass, Comm. prol. p. XXV.

inter Andromedam et Perseum positum sit, apparet utrumque mutavisse, ut Cephei familiam continuo enumeraret.[1])

Alia, quibus consensio augetur, conferre supervacaneum est. Eam enim per astronomicas huius libri partes[2]) durare et excipere necessitudinem[3]), quae inter Manilium Achillemque est, Malchin[4]) intellexit. Idem autem his rebus patefactis ea, in quibus poeta cum utroque consentit, Posidoni[5]) esse ita demonstravit, ut, quomodo illius astronomica Manilius cognoverit[6]), quaestio oriatur. Ad eam solvendam argumentum de facie terrae globosa poetae in disceptationem vocabo:

I 215 sqq. Idcirco terris non omnibus omnia signa
Conspicimus. nusquam invenies fulgere Canopum,
Donec Niliacas per pontum veneris oras;
Sed quaerent Helicen, quibus ille supervenit ignis,
Quod laterum tractus habitant, medioque tumore
Eripiunt terrae caelum visusque coercent.

In hac argumentatione duo falsa indagamus, quorum alterum omittimus, cum Canobus, etsi iam Cnidi et Rhodi Graecis erat visibilis[7]), tamen Alexandriae demum fieret visibilior[8]), alterum tenebimus. Numquam enim Aegyptus Helicen totam non videt.[9]) In eodem errore versatur Plinius[10]), qui, ut item terrae globositatem

---

1) Idem consilium Hyginum ducit (II 1): '. . et Cepheo et eius uxore Cassiope filiaque eius Andromeda et genero Perseo'.

2) I 566—702 et 805—812 paucis versibus omissis. Addas positionem stellarum fixarum: Manil. I 394 ~ Gemin. I 23 (cf. Malchin l. i. c. p. 11).

3) I 66—873 paucis versibus omissis.

4) Fr. Malchin 'de auctoribus quibusdam, qui Posidonii libros meteorologicos adhibuerunt' diss. Rost. 1893 p. 5 sqq. 12 sqq. idem in museo rhen. 53 (1898) p. 494. Ei assentitur Boll in Fleckeis. annal. suppl. XXI p. 217[4].

5) Cursim dico Thielium fugisse, quantum zodiacus tribus lineis in globo Farnesiano notatus ab Hipparchi (I 9, 11 sq.) sententia recedat et cum Posidoniana congruat (cf. Gemin. V 51; Achill. c. 23 p. 53, 2—8; Cleomed. I 4; Macrob. in Cic. Somn. Scip. I 15, 10).

6) Philosophumena stoica (librorum I. II. IV) et scientiam geographiae (IV 585 sqq.), quae eidem Posidonio Manilius debet (cf. Boll l. c. p. 218 sqq.), ab hac quaestione seponam, item collectionem placitorum lacteum orbem explicantium, quade supra iam disputavimus (cf. p. 21).

7) Hipparch. I 11, 8; alios testes affert Maass, Arat. p. 363 sq.

8) Gemin. III 15; Posidonius p. 75 Bake; Ar. schol. v. 351 al.

9) Simplic. et Philopon. (cf. p. 35[2]) Scaliger[2] p. 39. Knaack, Herm. XXII p. 639. Boll 'Beiträge' p. 123 A.

10) Eius locum exscripsit Mart. Capella VI p. 593.

demonstret, dicit (h. n. II 70, 178): 'Septentriones non cernit Trogodytice et confinis Aegyptus neque Canobum Italia'. Eorum auctorem communem argumentum nimia contractione ad perversitatem depravavisse verba sequentia docent, quibus positiones Canobi et Ursae recte comparantur: 'Adeoque manifesto assurgens fastigium curvatur, ut Canobus quartam fere partem signi unius supra terram eminere Alexandriae intuentibus videatur, eadem a Rhodo terram quodammodo ipsam stringere, in Ponto omnino non cernatur, ubi maxime sublimis Septentrio'. Error igitur est excerptoris.[1]) Argumentum ipsum[2]), quod inter Posidoniana hic poeta affert, philosophi Rhodii[3]) esse Plinius prodit. Nam verba eius posteriora, quae a praecedentibus seiungi non possunt, ad Posidonium satis certo revocantur.[4]) Itaque Manilium illum ipsum non adiisse apparet. His autem excerptis etiam aliena a Posidonianis fuerunt admixta.

Poeta enim ad rationem adversariorum[5]) quorundam positiones siderum Hygini[6]) consensu definit ita, ut regionibus septentrionali et australi dextram partem caeli et sinistram opponat[7]), quas easdem esse Rhodius[8]) contendit. Hanc de caelestibus partibus sententiam, quippe qua Achilles repudiata interpretibus Arati quibusdam ut propriam tribuat (p. 72, 15) et sequatur scriptor isagogae in eundem poetam anonymus[9]) (p. 102a, 3—7 M), quem indidem atque Hyginum hausisse Maass perspexit (prol. p. XXIII), frequentem fuisse

1) Illum non solum excerpsisse sed etiam supplevisse commemoratio throni Caesaris Pliniana patefacit (II 70, 178) et nostra conclusio de lactei orbis fabulis supra facta (p. 21). Hac de causa locus Plinianus erroribus scatet.

2) Recte hoc argumento utuntur Simplicius (in Aristot. libr. de caelo) p. 547, 17 sqq. et Philoponus (in Aristot. meteorol.) p. 18, 31 sqq.

3) Posidonius ortum Canobi non ubique visibilem ad varia demonstranda adhibuit (cf. Strabo II 119. Cleomed. I 10 p. 92. Maass, Arat. p. 363 sqq.).

4) cf. Maniti disputat. in Gemini editione p. 257.

5) Pythagoras, Platon, Aristoteles cf. Aetius II 11, 1 p. 339a, 4—7. De sententia Pythagoreorum cf. Aristot. de caelo II 2 p. 284 sqq. et Achill. p. 62, 8.

6) I 5 p. 23, 21. IV 8 p. 106, 1.

7) I 380. II 284. 292. III 184. V 131. — At Plinius dicit laeva parte mundi ortum esse II 8, 32. 11, 50. 54, 142.

8) cf. Cleomed. p. 16, 23. 208, 26 Ziegl.; Achilles p. 62, 8. 72, 13; Anonym. II p. 132, 15.

9) Apud hunc scriptorem solum cum duae sententiae inter se discrepantes exstent (p. 102a, 3 ∾ 132, 15), seriem appendicis interpolatam Maassio dissentiente (prol. p. XXIII) putem.

in litteris Arateis[1]) elucet. Cum eaedem, quarum fragmenta in isagogis ad nos pervenerunt, excerptis Posidonianis quoque abundent, iure dicemus poetam per earum[2]) aliquam Rhodium[3]) adiisse.

Manilius igitur ad sphaeram interpretandam in usum vocavit commentarium astronomicum Arateum[4]) (cf. p. 25).

Appendicis instar quam imperitus matheseos et astronomiae poeta fuerit, ut demonstrem, nonnulla exponam.

Anni cardines, qui coluris zodiacum secantibus definiuntur (cf. Gemin. V 50), Manilius ponit modo in prima signorum parte[5]),

---

1) Locus, quo alterius sententiae mentio fit, scholiorum pristinorum non fuit (ad v. 69); cf. Maassi prol. in Arat. edit. p. XI sq.

2) velut isagoga bis excerpta quamvis Posidonianorum referta regiones caeli altero modo nominat p. 319, 1.

3) Etsi Posidonius ab astrologicis rebus non aversus fuit (Boll Fleck. ann. l. c. p. 221[1]. 234) et prooemia Maniliano (I 40 sqq.) similia in isagogis complectuntur (Achill. p. 27. Anonym. I c. 1 p. 89), tamen ea, quae eius generis poetae et illis scriptoribus communia sunt (de aspectibus cf. Anonym. II p. 128 c. 13 ~ Gemin. II 7. 16. 2—4 ~ Manil. II 273. 288. 402 sqq.), e compendio astrologico fluxisse puto (cf. Gemin. II 5. 8. 12. 18).

4) De scriptore illius commentarii coniecturam faciam: Cum Aetius significationem verborum dextri laevique a Manilio probatam Pythagorae, Platoni, Aristoteli tribuat et aliae res a nobis ad Posidonium revocarentur (cf. p. 34), scriptorem duos fontes exhausisse apparet. Academicum igitur, qui Posidoniana excerpsit, ut Aratum interpretetur, postulamus. Volvas 'Aratea' quaeso: (p. 160) «Eudorus alexandrinus, philosopus academicus, Strabonis aetate excerptum Diodori (discipuli Posidoni) librum Arateum posteris suppeditavit simul commodiore ut videtur condito poetae commentario».

Nescio an Hyginus eundem commentarium adhibuerit, cum eius descriptiones Manilianis arte cohaereant:

de Equo	Manil. I 348	Hyg. p. 88, 23	Sphaerae v. 39 sq.
de Geminis	II 164. 458	p. 90, 17	Myth. Vat. III 8, 12 cf. imag. p. 28
de Geminis	I 387	p. 90, 15	cf. p. 42
de Hyadibus	I 371	p. 90, 5. 8	Ar. schol. v. 172
de Olore	I 687	p. 84, 6	Avien. 643; Atl.
de Ophiucho	I 331 sqq.	p. 87, 8 sqq.	Ar. 82
de Tauro	I 264 sqq.	p. 90, 5. 89, 24	Servius Ge. I 217. (Ar. 167; Sphaera 97; Avien. 423); cf. imag. p. 29

Accedit ut nominibus dextri et sinistri uterque partem caeli orientem et occidentem significet, cf. p. 35.

5) I 615 sqq. III 682 assentiuntur Arat. (Hipp. II 1, 15), Hipp. I 5, 11, Posidon. (Gemin. I 9 p. 286, 15 Manit.); Isag. bis exc. c. 20 p. 320; Atl.

modo in octava[1]), nunc in decima.[2]) Item titubat de temporibus anni constituendis. Ea initium capientia facit e Solstitiis et Aequinoctiis[3]), alio loco e prima parte signorum[4]), tertio e mensibus ineuntibus.[5])

Manifesti errores in astronomicis occurrunt. Nam, ut falsa ortuum tempora taceam[6]), duo astra commemorat, quae non modo non conspiciuntur, sed ne exstant quidem. A Lyra Fidem distinguit et bis[7]) refert eiusdem sideris ortum, cum alterius nominis[8]) significationem omnino non intellegeret. Similis res in Haedis est, quibuscum tertium connectit.[9]) Sine dubio auctor, cui Manilius se addixit, et Lyram Fidemque[10]) et Haedos Haedumque[11]) promiscue

---

1) III 257. 680; item Plin. h. n. II 19, 81; Mart. Cap. VIII 832; Gemini vers. lat. p. 286, 13; Ar. schol. v. 499 p. 438, 12; v. 509 p. 440; Isag. bis exc. c. 8 p. 316. Hyg. p. 101, 16.

2) III 681 (cf. Manit. edit. Gemin. p. 255).

3) id est octava in parte signorum III 680. 671/74. cf. Mart. Cap. VIII 874; Auson. ecl. 8. 10.

4) I 607 sq. II 265 sqq. III 253. 682; cf. Quint. Cic. p. 68 Buech. Hyg. I 7. Gemin. I 9. Firmic. Mat. II 10. C. I. L. I² 1 p. 281 (sub Sagittario).

5) id est mediis in signis II 159 sqq. 176. 182. 187. 193. Mommsenio, qui Manilium suo Marte ita dividere putat (röm. Chron.² p. 300 sqq.), non assentior, cum ad positionem anni cardinum Eudoxianam eum respicere mihi persuasum sit. De illa conferas verba Hipparchi I 5, 11 'εἰ μέντοι γε τὰ εἰρημένα ⟨σημεῖα⟩ [i. e. aequinoctia et solstitia] κατὰ μέσα τὰ ζώιδια κεῖται, ὡς Εὔδοξός φησιν'. (Praeter Mommsenium de cardinibus tractaverunt Gruppe, Herm. XI [1879] p. 235 et Unger, Fleckeis. annal. 141 [1890] p. 502 sqq.) cf. Servius ad Ge. I 43. Auson. ecl. 11.

6) cf. Scaliger² p. 368 sqq.

7) V 325 sqq. 410 sqq.

8) Confundit fidem et fidiculae tormentum V 410 sqq.

9) V 312 sqq. Haedi antecesserunt V 103 sqq.

10) 'Fidis' apud Varr. r. r. II 5, 12. Cic. v. 42. 461. Columell. XI 2, 14. 'Fidicula' apud Columell. XI 2, 36; Plin. h. n. XVIII 234; version. lat. Eratosth. catal. p. 134b, 8 M. legitur. — Similiter Ovidius errat, qui Lyram occidentem bis inducit fast. I 654. II 76. Firmicus Mat. Manilio non adeo se addixit, ut ipse quoque in eundem errorem labatur. Nam primo loco (VIII 12) Lyram omittit, secundo sane (c. 15) Manili versus V 410/16 exscribit et Lyram tormentum esse putat.

11) Haedum pro Haedis ponunt Sphaera v. 23, Horat. carm. III 1, 28, Propert. II 26, 56; Ovid. a. a. I 410. C. Gl. L. III p. 293, 31. 170, 12. 241, 51. — Clodium Tuscum, qui ortum et Haedorum et Haedi refert, de uno eodemque sidere surgente loqui e Columellae testimonio colligo, ita ut diversis nominibus duos ortus, matutinum et vespertinum, significet (cf. editionem Laurent. Lydi Wachsmuth. alteram p. 132, 8 et p. 135, 1). At Firmicus Maternus Manilium sequitur VIII 6. 12.

usurpaverat.[1]) Cum igitur hi errores ex eius ignorantia orerentur, Scaligero assentiemur qui dicit ([2] p. 370): 'fuit Manilius imperitissimus earum rerum, quas tractabat et quae ab aliis scripta legit, ea satis habuit sine delectu versibus concipere'.

III. De Germanico Manili imitatore.

Ut Manili aetatem definiamus, cum eius ipsius verba saepe obscuriora[2]) fide careant[3]), ex eis, quibus cum Germanico aequali poeta consentit, uter ab altero pendeat exploremus.

Aciem intendas quaeso in hos versus Caesaris:

184 sqq. Iasides etiam caelum CUM CONIUGE CEPHEUS
ascendit TOTAque DOMO, quia Iuppiter auctor
est generis, ...

'Tota domus' filiam[4]) solam significat, cum in sequentibus Cassiope excepta (v. 193) Andromedae tantum mentio fiat. Hoc est mirum. Sed Arato inspecto, apud quem legitur:

179 sqq. *Οὐδ' ἄρα Κηφῆος μογερὸν γένος Ἰασίδαο*
αὔτως ἄρρητον κατακείαται, ἀλλ' ἄρα καὶ τῶν
οὐρανὸν εἰς ὄνομ' ἦλθεν, ἐπεὶ Διὸς ἐγγύθεν ἦσαν·

Germanicum pronomen *τῶν* vocibus 'Cepheus' et 'tota domo' id est mater filiaque vertisse intellegimus. Prior igitur commemoratio Cassiopes (v. 184 coniuge) vitiosum est additamentum. Unde illa orta sit, ut perspicias, Manilium volvas:

V 23 Andromedamque negans genitor CUM CONIUGE CEPHEUS.[5])

Manil. I 259	— sidera mundo
272	— defundit Aquarius Urnam }
II 248	— fundens et Aquarius undas }
I 301	certior (Cynosura)
305	Has inter —

---

1) Item Ovidius a. a. I 410 ~ met. XIV 711.

2) velut I 7 sqq. 384 sq. 798 sqq. IV 764 sqq.

3) Ex eisdem argumentis diversa collegerunt viri docti, quos enumerant Kraemer (de Manilii astron. diss. Marpurg. 1890) p. 5 sqq. et Bechert (de Manilio astronomic. poeta Progr. Lipsiae 1891) p. 12 sq. Ribbeckium (Gesch. d. röm. Dichtg. III 11) et Dessaum (prosop. imp. Rom. II 327) unos nomino, qui falsa interpretatione versus V 513 sunt decepti.

Arietem esse signum obscurum quamquam Aratus eiusque interpretes atque etiam Germanicus ipse (v. 229) dicunt et Manilius unus negat (cf. p. 11), tamen alio loco sibi ipse repugnat:

532 nobilis hic Aries AURATO VELLERE (quondam . .).

Quid? quod eadem verba eodem versus loco apud hunc exstant:

II 212 Et sua respiciens AURATO VELLERE terga cf. I 263.

Sirii ortum Germanicus ita describit:

339 sq. 'nullo gaudet maiusve minusve
agricola et sidus PRIMO SPECULATUR ab ORTU'.

Quid sibi volunt verba 'maiusve minusve'? Putet quispiam[6]) ea et orientem Canem et occidentem attingere, sed obstant haec Arati scholiastae (p. 408, 22): '*Σειρίου οὐ μόνον τῆς ἀνατολῆς διὰ τὸ καῦμα καὶ τὸν πολὺν ὑπ' αὐτοῦ γινόμενον πυρετὸν αἴσθησιν λαμβάνομεν, ἀλλὰ καὶ δύνοντος αὐτοῦ τῆς ψύξεως αἰσθανόμεθα*', e quibus ab agricola timeri Sirium surgentem pariter atque cedentem elucet. Rectius verba ita interpretabimur, ut rusticus e modo oriendi (v. 340 ortu) ea colligat, quae sibi aut gaudio aut dolori anno vertente futura sint. Hac cum explicatione versus Manili congruunt:

I 401 sq. Hanc (Caniculam) quam surgentem PRIMO cum redditur ORTU
Montes ab excelso SPECULANTUR vertice Tauri,
Eventus frugum varios et tempora dicunt,
Quaeque valitudo veniat, concordia quanta, ...

Vides Germanicum ad verbum exscripsisse hunc poetam et vix nisi huius auxilio perspici posse. Hac re cognita clausulas et singula verba, quae a Manilio Caesar mutuatus est, componam:

Germ. v. 17	— sidera mundo (eodem versus loco)	Lucret. I 788
v. 387	— defundit Aquarius undas (eodem versus loco)	Baudri ab. 655 (An. III p. 311)
v. 45	certior est Cynosura	Hyg. p. 33, 7
v. 48	Has inter — („ „ „)	Cic. fr. VIII

4) Perseus, cum Medusam necavisset, in caelo positus est cf. p. 5.

5) Clausula versus 'cum coniuge' facile memoria tenetur; cf. Ovid. met. IV 467. IX 103. Lucan. II 728. carm. epigr. 313, 1. 317, 2. 385, 1. 452, 1. 512, 8. 640, 1. 854 al. Buech.

6) velut Scaliger² p. 58, qui consensionem Manili et Germanici investigavit, sed ductus versu 341 in codd. optimis A P omisso non plane intellexit.

Manil.	355 sq.	— relictam | Andromedam —
	386	— maximus auctor
	433	— squamea terga (Ceti) cf. I 614. V 15
	578	— noctemque diemque cf. III 231. 396
	694	aplustria (Ratis)
	II 28	poena Andromedae
	212	— aurato vellere — cf. I 263
	III 181	— demergit in undas
	472	— proprio sub nomine — cf. IV 379
	IV 548	— aequato — pondere Librae
	V 23	— cum coniuge Cepheus
	646	Nixa genu species — cf. I 315

Carmen Manili Germanicum lectitasse hac comparatione[1]) demonstratur. Itaque nobis licet viris doctis[2]) assentiri, qui hunc illius prooemium ante oculos habuisse asseverant.

Iam, cum poetae Arateorum omnes Astronomicon libros notos

---

1) Addo consensus aliquot minus certos:

Manil.	Germ.	
I 357 (Andromedam) expositam	v. 356 expositam	
366 nobilis — Capella	685 Caprae nobile lumen	
II 15 — cunabula magni	34 incunabula magni	
31 furto Cycnum	276/7 Cycnus | furta	
33 morsu Cancrum	544 morsu (Cancer)	
544 — Scorpius acer cf. II 513. V 698	IV 61 Scorpius acer	Seneca Thyest. 859. Avien. 1166.
565 Nemeaeus Leo	547 Nemeaeus Leo (IV 58)	
III 257 — Capricorni — biformis	IV 130 — Capricorni — biformis	
264 — ardentis — Cancri	6 — ardentem Cancrum — cf. IV55	Lucan. IX 536. Auson. eclog. 9, 7
424 — ardenti — Leoni	IV 150 Leo — ardet	Seneca Thyest. 855. Avien. 395
V556 palla (Andromedae)	204 palla (Andromedae)	

2) Scaliger[3] p. 24. Cramer (de Manili elocutione Argentor. 1882) p. 58 sq. Maass (de Germanici prooemio) p. XII. Uter imitator sit, nisi alia argumenta nobis prompta essent, dubitarem. At genituram Augusti

Germ. v. 199/200 — relictam | Andromedam — (eodem versus loco)		
v. 2 — maximus auctor („ „ „)		
v. 721 — squamea terga („ „ „)		
v. 434 — noctemque diemque (498)		Baudri abbas
v. 345 — aplustria puppis (eodem versus loco)		651
v. 205 — poenae facies (= Andromeda)		
v. 532 — aurato vellere — (eodem versus loco)		Ovid. her. VI 2
v. 159 — demersus in undas („ „ „)		
v. 335 — proprio sub nomine („ „ „)		
IV 27 aequatae librato pondere chelae (eodem versus loco)		
v. 184 — cum coniuge Cepheus (eodem versus loco)		
v. 627 Nixa genu species („ „ „)		

fuisse apertum sit, tempus definire possumus, post quod illud carmen editum esse nequit. Nam ex eo, quod Germanicus Aratea inter Augusti mortem condidit[1]) et Ovidi fastorum retractationem (a. 17), Manilium ante annum nostrae temporum rationis decimum sextum[2]) Astronomica fecisse cogitur.[3])

---

uterque videtur forte commemorare (Manil. II 509 sq. German. 558 sqq.), de ea conferas quae Bechert l. l. p. 17 et Maass l. l. p. IV sq. disseruerunt.

1) cf. Maass l. l. Etsi Ehwald (Bursians Jahresber. 80 p. 51) Maassio non prorsus assentitur, tamen cogimur Germanici verbis v. 3 'tibi sacra fero doctique laboris primitias' et Ovidi fast. I 25 'vates rege vatis habenas' Aratea priora quam fastos retractatos putare.

2) Finem propius ad Augusti mortem admovere nequeo. Nam versus I 384 sqq. I 800 (cf. Scal.[2] p. 98) nondum satis perspicio neque cum sequentibus (I 925 sq.) conciliare possum, quamquam doctae disputationes Kraemeri et Becherti mihi notae sunt.

3) Voigti sententiam, qui Arateorum poetam eundem esse atque Astronomicorum putat (Philolog. 58 p. 199 sq.), neclexi, quod perversa est.

IV. De Manilio et 'Sphaera'.

Felix Wieck[1]) Manilium Sphaeram, quae Empedoclis fertur, in usum vocavisse contendit et studet argumentis confirmare. Hanc sententiam iam a Maassio[2]) reiectam nostris in quaestionibus me iusto iure neclexisse demonstrabo. Illius argumenta cum poetae Romani fontibus et testibus litterariis conferre satis habeo.

Sphaera:	Manilius:	fontes et testes:
v. 1—4	I 303 sqq.	Manilius pendet ab Arati[3]) v. 50 sqq. 28 sqq. cf. p. 29.
v. 3—4	I 305—307	Manilius pendet ab Arati v. 46 sq. cf. p. 29.
v. 21	337 sq.	Uterque de alio sidere loquitur, at similis dicendi modus natura rei exigitur: cf. I 364. 369.
v. 20 sqq.	366 sqq.	Manilius pendet ab Ovidi fast. V 125 sqq. 114; cf. p. 13.
69 sq. *Λαμπροῖς ἐν ἄστροις λαμπρὸς Ὠρίων μέγας Διδύμοις προτείνει χεῖρα δεξιούμενος.*	I 387 sq. Cernere vicinum Geminis licet Oriona, In magnam caeli tendentem bracchia partem.	cf. V 12. 58. Differentia in his descriptionibus aperta est. Accedit quod Vitruvius IX 5, 2. Arati schol. v. 322. Hyg. III 21 p. 90, 14 sq. et

1) Sphaeram Empedoclis quae dicitur recensuit F. W. Gryphiae 1897 p. 16 sqq.

2) prol. p. XXXII sq. Maass ductus figuris et etymologiis siderum apud Manilium similiter atque in Sphaera inventis utrumque indidem prompsisse putat. Sed eum fugit, quod Manilius sui imitator est (IV 259 = I 272) et alius alio modo ad veriloquium alludit. Ille poeta nomina signorum bestiarum similitudine (velut Tauri v. 95) aut significatione vocis (velut *κριὸς* — *κρίνειν* v. 87; *Σκορπίος* — *σκορπίζειν* v. 129 sq.) interpretatur, hic mores hominum cum nominibus siderum actionibusque coniungit (cf. IV 122—291. 503—584). De astrologicis quibusdam cf. ea, quae Maass l. c. p. XXXIV exposuit.

3) Quantum Manilius Aratum sectetur, ex apparatu in Arati editione Maassiana critico et e sollerti Malchini (l. c.) collectione p. 47 elucet.

Sphaera:	Manilius:	fontes et testes:
		sphaerae (cf. p. 27) propinquitatem siderum testantur. At Manilius et Sphaera commentario astronomico usi esse videntur. cf. Sphaer. 68 sqq. ~ Ar. schol. v. 322. 324. Manil. 388 sqq. ~ Ar. schol. v. 324. v. 586. Hyg. III 33; cf. p. 24[3].
v. 63	I 412	cf. p. 3.
v. 140 sq. v. 137 sqq.	II 231 III 257	Uterque bestiam monstruosam describit, qualem picturae repraesentant et astronomi interpretantur[1]); cf. Manil. II 170 sq. 240. IV 257. 568. 795.
v. 95	IV 142	In hoc argumentum idem cadit quod supra (p. 32[2]) adnotavi: Sphaera nomen sideris e similitudine Tauri explicat, Manil. e signi facie mores hominum colligit. Similitudo verborum ex eo orta est, quod uterque

1) Capricornum, cui nulla pars humana est (II 172), biformem (II 170. 240. III 257) mixtumque e capro et pisce (II 659) poeta inducit. Itaque dicit: 'ambiguum sidus terraeque marique' (II 231. IV 795) et tribuit ei duo vis genera (IV 257 sq. cf. Bouché p. 145 sq.). Cum Sphaerae verbis et Manilianis congruunt haec Manethonis apotel. Δ 23 'Αἰγόκερως, γαίης τε καὶ ὕδατος ἀμφίβιος θήρ' et verba, quae apud interpolatorem cod. T leguntur: '(Αἰγόκερως) ἐστὶ δὲ χέρσυγρος, διὸ καὶ οὐρὰν ἰχθύος' (Rehm, progr. p. III).

Sphaera:	Manilius:	fontes et testes:
		Taurum ita stantem viderunt; cf. Ovid. trist. IV 6, 1 sq.; Panegyr. in Messall. 170.
v. 129 sqq.	IV 219 sqq.	Alludunt ad colendi legem agricolarum, cuius mentionem faciunt Nonnus Dion. XLII 286 sqq. et Ps.-Hipparchus (Maass, A. E.) p. 145, 5 sqq.
v. 146	IV 259	Hac de re supra disputavi (p. 42[2]); cf. Germ. III 18.

Praeter haec argumenta, quae irrita esse demonstravi, Wiecki sententia nititur nominibus potissimum 'Arae' et 'Aquari Iuvenis'. De priore enim Manilium, cum illud sidus semper 'Aram'[1]) appellet, in exemplari graeco *βωμός*, quae Sphaerae (v. 49) vox est, non *θυτήριον*[2]) invenisse contendit. Decipitur. Nam Cicero (v. 184) Avienusque (v. 847) Arati *θυτήριον* (v. 403) 'Ara' verterunt, et Ovidius (met. II 139) Hyginus (II 39 al.) aliique[3]) hoc astrum eodem nomine significant. Item in errore versatur, cum ad versum 146 adnotet: 'sic (*Νέος*) Aquarius a Manilio fere solemni significatione Iuvenis vocatur, quam praeter Sphaeram Graeci ignorant'.[4]) Graeci quidem forte ignorant, quod meminerim, sed Romani (cf. Ovid. fast.

1) I 421. 431. V 18. 341.

2) De nominibus Ideler dicit (Sternn. p. 280) 'das *θυτήριον* des Arat und die Ara des Cicero Manilius Hyginus Avienus ist ein Opfertisch, das *θυμιατήριον* und turibulum des ⟨Hipparchus⟩ Ptolemaeus Geminus Vitruvius und Germanicus ein Rauchfass, jener ist auf dem Borghianischen, dieses auf dem Dresdener (= arab.) Globus gebildet'; cf. Thiele p. 147. Bethe, mus. rhen. 55 p. 417; cf. Hermeneum. Einsidl. C. Gl. L. III 241, 61 '*τὸ θυσιαστήριον* ara (caeli)'.

3) Anonym. III p. 311, 18 (hinc Baudri abbas v. 663); anonymus poeta Anthol. lat. I 2 n. 761, 76.

4) Manilius nomina 'Aquari' et 'Urnae' (II 561; cf. II 542) promiscue usurpat, ut unum (II 667) idemque sidus significet; cf. II 406 (I 272; cf. Anth. lat. I 2, n. 761, 15 'urnifer'). Cum ipse dicat (II 230 sq.) signum e partibus terrena et marina constare, utitur figura quam nos 'pars pro toto' vocamus (cf. quae supra de Capricorni nomine disputavi p. 5[4]). In codicis Harleiani 647 plana sphaera caput Aquari circumdatur his verbis: 'Ganimedes. Urna. Aquarius'.

I 652. Avien. 550. 832. 838), et qui Aquarium Ganymedem esse interpretatur, Iuvenis cognomen illi suo iure attribuit.[1]) Intellegimus neque Sphaeram Manili fontem fuisse neque illorum necessitudinem argumentis a Wieckio allatis demonstratam esse.

Epimetrum.

Catasterismos recte me aestimavisse ut demonstrem, restat:

I. De ampliore Catasterismorum sylloga.

Pristina eorum integritas quomodo restituenda sit, viri docti dissentiunt. At proficiscendum est a scholiis Arati latini. Eorum enim versio latina, quam ex eodem fonte atque codicem T Catasterismorum a Rehmio nuper indagatum fluxisse in confesso sit, illum ita supplet, ut eius recensionem a ceteris manuscriptis alienam etiam in eis partibus praestet, quas ipse omittit. Itaque versionem codicis instar habeo neque dubito omnia, quibus libros adhuc notos superat et cum Hygini astronomia Germanicique scholiis consentit, genuina veraque agnoscere et in ampliorem Catast. librum reducere (cf. Maass, prol. p. XXXVIII). Consensu enim illorum opus est, cum interpolationibus perspicuis versio non prorsus vacet et eius codicum archetypus esset mutilatus (cf. Maass l. l. p. XXXVII. XLII. Rehm pr. p. VI sq.). At non solum amplius ceteris sed etiam integrius eius exemplar fuit, quod e capitibus codicis T difficilius intellegitur. Pro multis duo argumenta! Fabulam, quae in Cat. de Scorpione est (p. 196, 1—7), ex Arati scholio (ad v. 636) interpolatam esse non primus dico (cf. Rehm p. 19), cuius veritatem sententiae verba postrema (7—11) patefaciunt, quippe quae narrationem Orionis se iactantis non Dianam laedentis attingant. Veram rectamque eius formam Arati latini interpres (p. 196, 2—11) consensu Hygini (p. 68, 16 sq.) Germanicique scholiorum (B. P. p. 63, 9—13) profert. Porro fabulam Ursae maioris liberatam priore parte aliena narrationis Amphideae contractamque in Catast. codicibus exstare comparatio aliorum scriptorum (Hyg. p. 30, 15—20. B. P. p. 58, 9—12) probabile facit (cf. Robert. p. 12. 14), demonstrant hoc scholia latina (p. 181 sq.). Haud dubie igitur exemplar nondum Arati scholiis corruptum amputatumque a redactore id est

---

1) II 406. 492. 558. 566. IV 260. 357. 385. 709. 797. V 488. 506.

integrum[1]) scriptor eorum adhibuit, quod saeculo octavo iam fuisse ex Arati latini aetate certo concludi potest (cf. Maass, prol. p. XLII). Hac quaestione illa scholia ampliorem integrioremque Catasterismorum redactionem praestare, quod Maass iam perspexit (l. c. p. XXXVIII), demonstratum est. Itaque ad illos revocari debent ea, quae scholia continent, quae omittunt vetantur, nisi alia hanc originem probant. Haec reduco[2]):

de Ursa maiore p. 181, 14 — 182, 5
Hyg. p. 30, 15—20 BP p. 58, 9—12 S p. 113, 3—6
de Ursa minore p. 185, 10—12
Hyg. p. 32, 4 p. 59, 14 p. 115, 7
de Scorpione p. 196, 2—11
Hyg. p. 68, 16 sqq. p. 63, 9—13 p. 122, 2—6
de Virgine p. 201, 10—14 p. 65, 11 p. 125, 5—7
de Geminis p. 203, 6—13
Hyg. p. 64—65 p. 68, 2—5 p. 127, 2—5
de Equo p. 219, 12—17 T p. 4, 8 sqq.
Hyg. p. 59, 1 BP p. 79, 3—5
de Lyra p. 231, 14—16. 17—18 T p. 8, 10—11
Hyg. p. 43, 4—6 BP p. 84, 7 sqq. p. 151, 9 sqq.
de Aquila p. 243, 12—13 T p. 10, 5—6
Hyg. p. 55, 15 BP p. 91, 18 p. 106, 12
de Orione p. 248, 14—16. Haec verba, quoniam non perspexerunt, alii omittunt; cf. Rehm, pr. p. XHI**.
„ „ p. 248, 23 — 249, 15 [Cosmas p. 6.]
Hyg. p. 72, 16—25 BP p. 93, 11 sqq. S p. 164, 8—15
de Cane p. 251, 19 — 252, 18 T p. 12, 9 sqq.
BP p. 94, 16 sq. p. 168, 4 sqq.
de Lepore p. 254, 17—19 T p. 12, 6 cf. nostram de fabula disputationem p. 3[2] (BP ex Hygino interpolati sunt).
(de Nave p. 256, 14. Arati latini interpres perperam vertit).
de Pisce p. 261, 16—20 T p. 13, 8 sqq.
Hyg. II 41 BP p. 99, 4 S p. 176, 10
de Ara p. 263, 15—17. 264, 7—9 T p. 14, 3 sqq.
Hyg. II 39 BP p. 99, 13 p. 177

---

1) Verba p. 229, 7 a compilatore an addita sint nescio (cf. Rehm, pr. p. XXV).

2) In censum veniunt narrationes de eis tantum sideribus mythologicae, quae fabulis exornata apud Manilium invenimus.

(de Hydra p. 268, 3—5. 269, 1—2 T p. 15, 5 sqq. 13
Hyg. p. 76, 6 BP p. 100, 14 sq. S p. 180
p. 269, 9—12 verba, quae in exemplari corrupta fuisse videntur, non sunt interpolata[1])).

His frustulis, quae sola genuina esse certo scitur, differentiam Manili et Catasterismorum (cf. p. 22) non minui apparet.

II. De Cosmae sylloga.

Cosmas num e Cat. amplioribus fabulas siderales prompserit, quas commentariis carmina Gregori Nazianzeni instruendis inseruit, ut exquiramus, singulas percensebimus. A Coma Berenices proficiscemur, quade eadem narratio in codice T quoque legitur. Largiendum est in Cat. huic sideri duas de regina Aegyptia et virginibus Lesbiacis fabulas[2]) aliquando subiectas fuisse, sed eius coniunctio et Vindemiatoris Virginisque, quae in codice T et similiter a Cosma refertur, Cat. utique aliena est. Nam eorum auctorem Berenices narrationem Leoni annexuisse[3]), Vindemiatorem autem in Virginis descriptione commemorasse[4]) e vestigiis ibi servatis et consensu Hygini Germanicique scholiorum elucet. Numquam igitur illud fragmentum cod. T in Cataster. exstitit.[5]) Promptum est e scholio Arateo, cuius dispersae partes (p. 361. 363) confusae sunt et cui coniunctio trium siderum illic necessaria hic perversa debetur. In Cosmam idem cadit. Eius verba obscuritate quadam laborant: '... *ηὔξατο, ὅτι ... τὸν πλόκαμον ἀποκείρασα τὸν ἑαυτῆς ἀναθήσει ἀνάθημα ἐν τῶι ἱερῶι. καὶ ἀνέθηκε Βερενίκη· Κόνων ... πρὸς κολακείαν αὐτῆς φησιν, ὅτι οἱ θεοὶ τὸν πλόκαμον τοῦτον ἐν ἄστροις μετέθηκαν*' (p. 5). Nam cirrum, quamquam in templo iaceat, tamen inter astra conspici quis putet? Cosmas igitur fontem perperam aut inspexit aut exscripsit; alterum esse Hygini verba docent (p. 67, 6): '(dicunt) ... voto damnatam (Berenicem) crinem in Veneris ... posuisse templo, eumque postero die non comparuisse, quod factum cum rex aegre ferret, Cono mathematicus, ut ante diximus, cupiens inire gratiam regis dixit crinem inter sidera videri collo-

1) Nam ille interpres *Ὕδρον* voce 'Aquari' vertit (cf. p. 268 a, 12 = 268 b, 10; p. 136, 19 *Ὑδροχόος* cod. Laur. *Ὕδρα* cod. Angel; cf. Rehm, Herm. 34 p. 254.

2) cf. Hyg. II 24 p. 67, 1—2. 18—20. BP p. 72, 21. S p. 132, 12 sq.

3) Cat. p. 207, 4—8; Hyg. II 24 p. 67, 1—2; BP p. 72, 19; S p. 132, 11.

4) Cat. p. 202, 5—6; Hyg. III 24 p. 91, 24; BP p. 67, 16; S p. 126, 14.

5) Assentiuntur Olivieri edit. Cat. p. XII; Maass, prol. p. XXXVII; Rehm, pr. p. II.

catum . . .'[1]), e quibus elucet Cosmam neglegentia omisisse comam oculis ereptam. Praeter hoc magnus ad verbum fere consensus Hygini Cosmaeque patet, quo probatur id, quod de huius fonte modo exploravimus, cum ille hanc historiolae partem, quam neque Catasterismis neque commentario cuidam debet[2]), e scholio Arateo copiosiore sumpserit.[3]) Discrepantia autem levis, quae inter Cosmam et Hyginum scholiumque servatum intercedit, ex eo orta est, quod ille, cum in libello suo indignatio Ptolemaei haud scio an omissa fuerit, pro obscuro verbo '*χαριζόμενος*' suo Marte '*πρὸς κολακείαν αὐτῆς* (*Βερενίκης*)' summa narrationis ductus posuit. Itaque ab eo revocamus crimen neglegentiae et fonti obiciamus. Si ita res se habet, Cosmas ante excerptorem Catasterismorum (T) Arati scholium iam paulo contractum adhibuit. Iam ad alias fabulas transeamus.

Coronae et Anguis Ophiuchi narrationes unde fluxerint certum non habeo, quarum altera insignibus verbis caret, altera apud nullum scriptorem alium, quod sciam, occurrit.

Leonis quoque historiolam cui debeat in medio relinquimus, cum Arati scholiasta (v. 149 p. 365) obiter perstringat et eius postrema in Catasterismis verba[4]) (p. 206b, 12—16) nescio unde interpolata[5]) sint. Cosmas ipse aliunde exornationem fabulae promere potuit.

Orionis narrationis, quae in duas divisa est, priorem partem etsi variatam auxilio Arati latini in Catasterismos integriores supra (p. 46) reduximus, altera ad verbum fere congruens ibidem adhuc exstat (p. 249b, 16 sqq.). Tamen decipitur qui Cosmam ampliore illorum libro usum esse hac e re concludat. Primum enim prior huius fabula singillatim a Catasterismis multum differt, deinde alteram aliquando ab illis alienam seris demum temporibus Arati

---

1) cf. Catull. 66, 54 sq.

2) Hyg. p. 66, 23 — 67, 2 ∾ Cat. p. 207; BP p. 72, 19 sqq.; Hyg. p. 67, 18—20 ∾ Cat. cf. p. 47 adn. 2; Hyg. p. 67, 11—18 fortasse fluxit e commentario Catulliano cf. Haupt, opp. I 60. Robert p. 4 sqq.

3) Hyg. p. 67, 2—11 consentit cum scholio Arateo (v. 144 p. 363, 13 sqq.) quod quando uberius fuisse obscura verba '*χαριζόμενος Πτολεμαίωι*' demonstrant. Nam ea non sunt intellegenda nisi praecedit narratio, quae de bello Ptolemaei et Berenices voto est, ita ut *χαριζόμενος* ad comam raptam et regem hoc aegre ferentem spectet. Hac contractione factum est, ut Conon deorum partes agens ibi inducatur.

4) Quaeruntur in versione latina, apud Hyginum (II 24 p. 66, 23) scholiaque Germanici (BP p. 72, 1).

5) cf. Rehm, pr. p. XXIII.

gratia interpolatam esse e versionis latinae interprete, Hygino, scholiisque in Germanicum, qui omnes hic desunt, unusquisque intellegat[1]), denique, cum altera alteram nulla coniunctione subsequatur, aut utramque ex alio fonte hausisse eum aut aliquid omisisse coniectandum est.

Restant tres fabulae, quarum prima de Tauro a Theseo necato in Arati scholio (v. 167) solo legitur, eodem secundam, quae de Nemesis aut Ledae olore est, propter verborum similitudinem revoco, praesertim cum alteram formam illo scholiasta (v. 273) excepto Manilius Germanicus (v. 275) Hyginusque soli proferant.

Erigones fabulam, quae tertia est, Robert (p. 4) et Maass (A. E. p. 7. 83) quidem in amplioribus Catasterismis fuisse dicunt, sed nec vola nec vestigium ibi reperitur ne in versione latina quidem. At Hyginus et scholia Germanici eam complectuntur! Certe, sed ille, quippe qui (II 4) plura aliunde adiecerit[2]), et haec, quoniam inter narrationem Catasterismorum (p. 201 b) propriam et Erigones fabulam Nigidiana (p. 65, 20 — 66, 6) ponunt, testimonii instar citari non debuerunt. Etiam minus subscriptioni *'ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλόγοις'* scholii Iliadis (*X* 29 B) tribuo, cuius verba virorum doctorum suspicionem non sine causa movent. Arati autem scholium magni momenti est. Nam ibi (p. 454, 10) huius fabulae vestigium quamvis levissimum occurrit, e quo id uberius aliquando fuisse colligo.

Cosmam, quoniam eius fabularum partem certo, partem probabiliter ad scholia Aratea reduximus, ei, qui cogniturus est illorum redactionem pristinam non restituturus formam Catasterismorum integriorem, prodesse apparet. Nam scholia Arati auctiora adhibuisse videtur.[3])

---

1) cf. Olivieri-Rehm, Hermes 34 p. 264 adn. 3.

2) cf. Maass, A. E. p. 68 sqq. 83.

3) Consentio cum Rehmio (Hermae 34 p. 264 adn. 3. p. 267), cum Maassio discrepo (A. E. p. 7. Comm. p. 575 adn.).

Addendum (ad pp. 5[4]. 44[4]. 47[1]).

Mensium nomina *Αἰγών* et *Ὑδρών*, quorum Ptolemaeus mentionem facit (synt. IX 7. 10. X 9. XI 3), de nominibus signorum per deminutionem factis *Αἴξ* et *Ὕδρος* derivata esse videntur.

Indices.

I. Index fabularum Manilianarum.

Andromeda p. 4 sqq.
Aquarius p. 5
Aquila p. 10
Ara p. 11
Argo p. 8 sq.
Aries p. 11 sq.
Auriga p. 5 sq.
Cancer p. 1
Capra p. 12 sq.
Cassiope p. 4 sq.
Cepheus p. 4 sq.
Cetus p. 4 sq.
Corona p. 13 sqq.
Delphinus p. 9
Deltoton p. 3
Draco p. 10
Ecus p. 2
Gemini p. 18 sq.
Lacteus orbis
  fab. Eratosthenica p. 19 sq.
  fab. Phaethontea p. 20 sq.
Leo p. 2
Lepus p. 3
Lyra p. 9 sq.
Nepa p. 1
Olor p. 7 sq.
Perseus p. 5
Pisces p. 16 sq.
Taurus p. 12
Ursa maior p. 6
Ursa minor p. 2
Virgo
  fab. Erigones p. 6
  fab. Iustitiae p. 7

II. Index locorum Manili explicatorum.

l. I

v. 215 sqq. p. 34
v. 319 sqq. p. 13
v. 339 sq. p. 8
v. 346 p. 9
v. 387 sq. p. 24[3]. 42
v. 393 p. 30
v. 401 p. 40
v. 412 sqq. p. 9
v. 438 p. 33[4]
v. 446 p. 22
v. 735 sqq. p. 20
v. 750 sqq. p. 19

l. II

v. 25—38 p. 22 sq.
v. 39—42 p. 23[1]
v. 184 p. 28[1]
v. 251 p. 29
v. 265 sqq. p. 37
v. 273 sqq. p. 36[3]
v. 456 sqq. p. 24[3]

l. III

v. 257 p. 37
v. 359 p. 6[5]
v. 671/74 p. 37
v. 680 sqq. p. 37

l. IV

v. 205 sqq. p. 29[2]
v. 530 sqq. p. 33[8]
v. 755 sqq. p. 18
v. 800 sq. p. 16[4]
v. 848 p. 28 sq.

l. V

v. 16 p. 10
v. 68 sqq. p. 28[3]
v. 174 sqq. p. 33[8]
v. 312 sqq. p. 37
v. 382 sq. p. 8[5]
v. 410 sqq. p. 37
v. 541 sqq. p. 4[3]

III. Index rerum et scriptorum selectus.

Ampelius II 7 p. 29[2]
Anni cardines p. 36
  tempora p. 37
Apollo formonsus p. 18[11]
  tutela Geminorum p. 18
  alter Geminorum p. 18
  planeta p. 18[10]
Aqua Aquari p. 33[4]
Aquarius zodiaci initium p. 31[5]
Arae nomen p. 44
Arat. comment. usi sunt Manilius p. 25. 36 Germanicus p. 25[1]. Hyginus p. 36[4]
Arat. schol. integrior forma p. 24. ratio eorum et Manili p. 10 sq. 22 sqq. et Cat. p. 24[8]. 45. ea hausit Cosmas p. 47 sqq. catalogi stellarum p. 24[7]. divisio siderum p. 31[7]. falsum p. 17[4]
Archelaos p. 3[2]
Ariadna in caelo posita p. 14 sqq.
Aries velle indutus p. 11
Aselli p. 33[8]
Aspectus signorum p. 36[3]
Bellerophontis genitura p. 5[7]. 22

Berenices coma, eius fabula explicatur p. 47 sq.
Caniculae nomen p. 33[1]. ortus p. 39
Canopus p. 34 sq.
Capellae nomen p. 13[4]
Capricorni fabula p. 17[9]. facies p. 30. 43[1]. nomen p. 5[4]. 49 (Ad.)
Catasterismi eorum ratio et Manili p. 8 sq. 22. et Arati scholiastae p. 24[8]. 45. ampliores p. 45 sqq. eorum versio latina p. 45. c. XVIII p. 2[9]
Cetus, nomen p. 5[4]. facit inundationem p. 4[8]
Chelae eaedem atque Libra p. 28[4]
Circuli caelestes p. 30 sq.
Coluri p. 30 sq.
Cosmas adhibet scholia Aratea p. 47 sqq. fabulae sidereae percensentur p. 47 sqq.
Dextra pars caeli p. 35 sq.
Diognetus Erythraeus (Hyg. II 30) p. 17[9]
Draco et Hydra inter se mutantur p. 10 sq.
Eratosthenis Catamerismos p. 19. Mercurius p. 19. catalogus stellarum p. 31[7]. -ica ap. Nonnum p. 20[4]
Eudorus p. 36[4]
Eustathius, ad Od. XI 324 p. 15 sq.
Fidis eadem atque Lyra p. 37
Flumen p. 33[5]
Ps.-Geminus et Manilius p. 32 sq.
Germanicus lectitavit Manilium p. 38 sqq. adhibuit commentarium Arateum mytholog. p. 25[1]. explicantur vv. 184 sq. 339 sq. 532 p. 38 sq.
Globo utitur Manilius p. 30 sq.
Corp. Glossarior. Lat. III p. 292, 12 p. 29[2]
Haedus p. 37[11]
Hercules alter Geminorum p. 18 planeta p. 18[10]
Hyadum veriloquium p. 3 sq.
Hygini ratio et Manili p. 9 sq. 21 sq. explicantur II 24 p. 48.
II 30 p. 16 sq.
Iugulae p. 33[8]
Iuvenis p. 44
Lactantius div. inst. I 10 p. 35 p. 15[1]
Lactei orbis descriptio p. 30 sq. placita de eius origine p. 18 sqq.
Leo Nemeaeus p. 2[2]. eius fab. in Cat. p. 48
Librae fab. apud Manil. non est p. 29[2]. sed apud Ampel. II 7 p. 29[2] et Myth. Vatic. III 15, 7. facies p. 28 sq.
Libripens p. 29[2]
Manilius, aetas p. 41. fab. p. 1—25. astronomia p. 26—38. adhibet commentar. Arat. mythol. p. 25. astronomic. p. 35 sq. compend. astrol. p. 36[3]. Posidoniana p. 21. 34 sqq. Ovidium p. 4[2]. 12 sqq. globum p. 30 sq. picturas p. 27 sqq. non adhibet Sphaeram p. 42 sqq. eius ratio et Arati scholiasta p. 10 sq. 22 sqq. et Cat. p. 8 sq. 22. et Hygini p. 9 sq. 21. 35. et Gemini p. 31 sqq. catalogi stellarum p. 24[7]; circuli caelestes p. 31. errores p. 10. 34 sq. 37 sq. emendatur IV 800 p. 16[4]. eum lectitavit Germanicus p. 38—41
Mythogr. Vat. I 181 p. 18[7]. III 15, 12 p. 16[5]
Olenia p. 12 sq.
Orionis situs p. 24[3]. 29. 42. fab. p. 45. 48 sq.
Ovidius sequitur Moschum p. 12[5]. eum imitatur Manilius p. 4[2]. 12 sqq. exscripserunt Lactantius p. 15[1]. Myth. Vat. p. 16[5]. explicantur fast. II 459 sqq. p. 16. III 513 sqq. p. 14 sq.
Phaenomenorum scriptores p. 23[2. 3]
Phaethontis fabula p. 20 sq.
Plinius h. n. II 70, 178 p. 35
Posidoniana apud Manil. p. 21. 34 sqq.
Praesepium p. 33[8]
Propertius III 17, 8 p. 15
Scorpionis fab. in Cat. p. 45
Septentrio p. 34 sq.
Sidera sunt dei p. 8 sq.
-um ordo p. 32 sq.
-um divisio p. 22[5]. 31 sq.
Signa aequorea p. 30[1]
tutelaria p. 24[3]
Signifer p. 34[5]
Suculae p. 3[7]. 4
Surruptus p. 16[4]
Venus in pisces mutata p. 16 sq.
Virgo, nomen p. 7[2]. fab. Erigones ap. Cosmam p. 49
Urna pro Aquario p. 5[4]. 44[4]. (p. 49 Ad.)
Ursae, nomina p. 6[1]
Ursae maioris fab. in Cat. p. 45

Vita.

Ioannes Moeller natus sum Offenbachiae in oppido Hassiae a. d. XV Kal. Mart. a. MDCCCLXXVIII patre Iacobo, matre Ioanna e gente Dornseiff. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum rudimentis imbutus vere a. octogesimi septimi gymnasio Offenbachiensi traditus sum. Ibi fuerunt Guilelmus Buechner nec non Guilelmus Heraeus, qui litterarum antiquarum amorem mihi ita iniecerunt, ut maturitatis testimonio instructus vere a. XCVI adirem almam Universitatem Gottingensem studiis philologis operam daturus. In quae Gottingae per duo semenstria, Berolini alterum unum, Marpurgi quattuor incubui. Autumno a. XCIX praematura patris morte coactus Offenbachiam migravi, unde mense Augusto praeteriti anni huc redii.

Philologi proseminarii Gottingae Leone et Wilamowitzio regentibus sodalis fui per bis sex menses, Marpurgi Birtio rectore alteros sex. Factum est Birtii et Maassii benevolentia, ut in seminarium philologorum Marpurgensium reciperer, cuius per duo semenstria sodalis fui, per unum senior. Exercitationibus grammaticis me benigne admiserunt G. Wentzel, Birt, Thiele. Historico seminario Nisio rectore per sex menses interfui. Germanici proseminarii Gottingensis, quod Roethe et Heyne moderabantur, per bis sex menses sodalis fui, per unum seminarii Marpurgensis Schroedero regente.

Docuerunt me viri doctissimi Gottingae Dilthey Heyne Leo Roethe de Wilamowitz Wentzel, Berolini Diels Herrmann E. Schmidt Vahlen de Wilamowitz Winter (nunc Aenopontanus), Marpurgi Birt Koester (nunc Lipsiensis) Kretschmer (nunc Vindobonensis) Kuehnemann Maass Natorp Niese Schroeder Thiele.

Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas, imprimis vero Ernesto Maass, quo et auctore et adiutore factum est, ut studiis, e quibus hic libellus ortus est, operam navarem, nec non Georgio Thiele, qui illa benevolentissime fovebat.

Lm 10.72
Studia Manilianа.
Widener Library
002421619
3 2044 085 211 118